perfectionis gradus eſt, ad quem Magdalena de Pazzi pervenit? Sed ſicuti Crux Salvatoris eſt noſtræ ſalutis principium; ita in Cruce noſtræ ſanctitatis conſummationem reperiemus pro illo patientes, & illi certiſſima noſtri amoris monumenta præbentes. Nunquam nobis deerunt occaſiones, quas Providentia omnibus ſuggerit, ut ſemper ſanctificandi noſmet cauſſas inveniamus. Hoc pacto Deus emandabit noſtram caritatem, quæ niſi hoc ſubierit periculum, nobis ſuſpicione carere non debet, & imprimet in nobis ſimilitudinem ſuam, quæ, ut Sanctus Paulus ait, efficit Sanctos quidem in terris, in Cælis autem prædeſtinatos. *Auctor Recens.*

PRO SANCTI CAJETANI
Thienæi Clericorum Regularium vulgo Theatinorum Inſtitutoris
PANEGYRICO.
MONITUM.

PRæſtans S. Cajetani Thienæi erga Eccleſiam promeritum, quo Cleri reformationem, ac primævæ diſciplinæ morem revocare ſtuduit; præſtans inquam, hoc meritum tanti momenti ſanctuario ipſi præſtitum, idque tunc temporis cum omnia in deterius prolapſa reformatoris opem præſtolabantur, ampliſſimi ſermonis luculentiſſimum eſſet argumentum. Verum cum tantum opus magnarum virtutum egeret ſubſidio, atque eſſet cum heroica conſtantia, invictaque patientia obeundum, in earum enumeratione nobis latior campus aperitur ad texendum uberius elogium magni hujus Viri, atque inſtitutæ ab illo Congregationis, de qua plurima in lucem prodierunt volumina.

Equidem ſcio inſignem Petrum Caraffa, qui mox Romana inclaruit Purpura, & demum ad ſupremum Pontificatus apicem evectus fuit, ac Paulus IV. nuncupatus, eamdem cum Cajetano foviſſe mentem, & utrumque ſimul mutuo ſibi communicatis conſiliis, una cum duobus aliis ſodalibus virtutis eximiæ opus ſtudiumque ſuum collocaſſe in finem eumdem. Sed ne quatuor pro uno fiant Panegyrici, illuſtribus tanti operis ſociis, præſertim vero Cardinali Caraffæ gloriam relinquamus, in partem acceſſiſſe ad tempus, laborum, ac miniſterii Sancti Cajetani, ac novo huic Ordini nomen, amplitudinem, & clientelam rediſſe; & mox quatenus Pontificem maximum eumdem approbaſſe, & confirmaſſe. Sanctum vero noſtrum ſemper intuebimur tanquam glorioſi hujus operis caput, ac tanquam illum, cui acceptæ referendæ ſunt omnes victoriæ de hæreticis, aliiſque Eccleſiæ inimicis relatæ, atque omnes ſucceſſus recentis Ordinis, tanquam præcipui Inſtitutori eximiæ Congregationis Clericorum qui Theatini appellantur.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Varia Sermonum hujus Argumenti Syſtemata.

Zelus domus tuæ comedit me. Pſalm. 68.

I. TExtus hic, qui affingi poſſet Sanctis omnibus, qui vitam Apoſtolicam profeſſi ſunt, & qui latius Religionis fines protulerunt, vel Eccleſiam tutati ſunt, ita ſingulari pacto S. Cajetanum attingit, ut proprium ejus characterem conſtituat in miniſterio, pro quo a Deo electus, & ad quod fuit evocatus. Proprium inquam characterem; fuit enim inſtrumentum, quo uſus eſt Deus ad Clerum refingendum, quæ potiſſima Eccleſiæ pars eſt, juxta primorum ſæculorum prototypum; & per hoc totam Chriſtianiſmi faciem ſchiſmatibus, Hæreſibus, & morum corruptela deformatam, reformavit; qua in re Sancti hujus zelus pro Dei domo maxime eluxit. Ut in hoc immorer argumento, quod re ipſa illum ab aliis Sanctis ſecernit, quorum zelus enituit in fidei propagatione, & Eccleſiæ propugnatione, ajo, S. Cajetani zelum illum impuliſſe ad ipſius Sanctuarii, quæ Domus Dei eſt, ſanctificationem; etenim laboribus cum ſuis, tum orientis congregationis ſuæ effecit, ut in clero primorum Eccleſiæ temporum refloreſceret diſciplina. Quod elogium licet magnum ſit, atque præclarum, tamen haud ægre probaturus ſum, ſi animadverteritis ad tantum hoc facinus opus fuiſſe ita eminenti virtute, auctoritate ita ſolide conſtituta, adeo firma conſtantia, nominis exiſtimatione adeo præcellenti, verbo, tot tantiſque virtutibus quibus incomparabilis Thienæus præditus erat, cui glorioſum hoc opus adeo benevertit. Diutius non immorabor, ut prolixa hypotipoſi ob oculos veſtros objiciam miſerrimum ſtatum illum, ad quem tunc temporis Clerus redactus erat; ſatis mihi erit generatim attingere ea flagitia, quæ irrepſerant, & quæ anſam, vel cauſſam, coloremve præbuere tot Schiſmatibus, atque Hæreſibus, quæ ſunt inferorum portæ, & quæ contra Eccleſiam prævaluiſſent, niſi illa providentia omnibus adverſariorum conatibus ſuperiore ducta, atque directa fuiſſet. Providentia, quæ excitavit hominem ſecundum cor Dei, qui ſapienti hoc uſus eſt Miniſtro, ut illam tueretur, ac ſuſtineret. Vir hic admirabilis, dicam iterum, eſt incomparabilis Cajetanus, qui zelo domus Dei ſuccenſus, horum flagitiorum vim retardavit Sanctuarium refigens: *Zelus domus tuæ comedit me.* Sed ut opus beneverteret, opus erat zelo, qui zelum illius exæquaret; zelo, qui ut S. Paulus ait, æque ardens eſſet, ac lucens. Quod me vobis oſtenſurum ſpero per ea adminicula, quibus Sanctus hic uſus eſt, ut ſuſcepti facinoris optatum exitum aſſequeretur. Hæc autem tria fuiſſe reperio, quæ tres ſermonis hujus partes efficient.

Primum autem illud fuit, quod zelus hic ab eodem duxit exordium; quippe ſe ipſum præbuit abſolutiſſimum pietatis, caritatis, omniumque exemplar virtutum, quas publice profeſſus eſt, ut eſſet exemplo omnibus ævi ſui Eccleſiaſticis; & hac ratione tanquam ceterarum validiſſima ob oculos eorum objiceret, quinam eſſent primorum temporum Eccleſiaſtici.

Alterum. Zelus hic illi ſuaſit, ut veterem vitæ rationem, quam ducebant Apoſtoli, primique miniſtri Domini revocaret, qui in communi vivebant, quemadmodum cœnobitæ ſolent. Hinc Sanctus Ordinem Clericorum Regularium inſtituit, cujus unum extitit ex præcipuis membris, ut Eccleſiaſtici vitam ducerent regularem, ſolitariam, Deo per preces conjunctam, ſimulque retinerent, quod Cleri proprium eſt, videlicet zelum pro altarium cultu, & curam miniſteriis ſtatus ſui propriis appoſitam. Hic finis fuit, & præcipuus ſcopus, quem Sanctus noſter ſibi propoſuit, ut Clerum ad priſtinum ſtatum revocaret, quod voto illi adeo feliciter ceſſit, ut Summorum Pontificum approbationem meritus fuerit, & fructum mirificum in Eccleſia univerſa pepererit.

Tertium. Zelus ejus ſemper actuoſus, & ardens nequaquam in ſolo ſe Clero continuit; ſed ſe extendit ad fideles omnes, qui ſunt Eccleſiæ membra per Apoſtolicos labores cum ſuos, tum inſtitutæ ab ipſo Congregationis, cum populi ſecuti ſint Eccleſiaſticorum exemplum; quo pacto auctor fuit reformationis morum in omnibus fere ſtatibus univerſalis.

Hoc inſigne eſt S. Cajetani in Eccleſiam omnem promeritum, quem illa in grati animi argumentum hoc die populorum venerationi proponit, & quem tanquam prototypum Eccleſiaſticis omnibus, omnibuſque Religioſis Ordinibus objicit. *Auctor Recens.*

II. *Fecit mirabilia in vita ſua.* Eccli. 31. Mirabimini fortaſſe me dicere incipientem Sancti ejus Viri laudes, cujus hodierna die memoriam recolimus ex hiſce verbis ducere exordium. Quid enim, inquiet aliquis, adeo in hoc Viro excellens renidet, ut per hoc a reliquis Sanctis ſecernatur, in quibus juxta Scripturas, videri velit Deus adeo admirabilis? *Mirabilis Deus in Sanctis ſuis.* Numquid miracula, quæ Deus in ejus gratiam operatus eſt? Verum eſt plurima patraſſe & maxima; hoc tamen non ideo efficit, ut dicam, illum in vita ſua mirabilia operatum fuiſſe: *Fecit mirabilia in vita ſua.* Sed hæc vita ipſius eſt miraculis omnibus admirabilior, cujus fulgor eorum perſtringebat oculos, qui omnia tantum ex ea parte reſpiciunt, quæ ſenſus afficit. Tria hoc vobis perſuadebunt, ſi prius cogitaveritis, quam rarum ſit ſimul ea connectere, quæ adeo videntur oppoſita, & nonnunquam etiam adeo contraria, quæ tamen magnus hic Sanctus ſimul conjunxit mirabili conſenſu, qui miraculorum omnium videri poteſt maximum.

Primum. Perfectam, jugemque innocentiam cum maximis pœnitentiæ ſeveritatibus conjunxit; quod liquet ex toto vitæ ejus curriculo.

Alterum, quo non minus habetur miraculum eſt, conſociaſſe vitæ ſolitariæ exercitia cum vitæ Apoſtolicæ officiis, quæ plures motus, & actiones ad proximorum utilitatem requirit.

Tertium eſt Cleri munera cum Religioſi ſtatus diſciplina con-

nectere, unum dumtaxat ordinem ex duplici hoc ſtatu componendo, cujus fructus viſus eſt in reformatione morum cum in Clericis, cum in omnibus Chriſtianis. *Sermo Manuſcriptus.*

III. Oſtendi poteſt quam rationem inierit erga S. Cajetanum Providentia, in eo, quod ſibi de eodem propoſuerat conſilio; Deus enim largitus eſt illi qualitates adeo neceſſarias ad tanti momenti miniſterium, præcipue vero magnum zelum. 2. Suppeditavit illi occaſiones illius exercendi, ac tandem illum feliciſſimo eventu coronavit.

2. Oſtendi poteſt confidentia, quam in hac providentia S. Cajetanus habuit, 1. In paupertatis prorſus ſingularis profeſſione. 2. In magnis operibus pro Dei gloria, Eccleſiæque utilitate ſuſceptis. 3. In conſtantia qua ſemper omnes ſuperavit obices, qui in conſiliis ipſius adimplendis ſuborti ſunt.

IV. *Lex Dei ejus in corde ipſius.* Pſalm. 33. Cum S. Cajetanus per omnium virtutum praxim inclaruerit, quacumque ex parte ſpectetur, ſemper elucet. Dicere poſſumus, Dei legem fuiſſe in corde ipſius, & toto vitæ ſuæ ſpatio nunquam illum offendiſſe. Oſtendere igitur poſſumus in hoc ſancto Viro, 1. Sanctum Doctorem, cujus imaginem ipſum nobis proponit Evangelium; quia Evangelii placita obſervavit per pœnitentiam, ſæculi fugam, omnibuſque pompis illius abrenuntiationem, ac per amorem puritatis tum corporis, cum cordis: *Qui fecerit & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum.* (*Matth.* 5.) 2. Quod non continuit veritatem in corde ſuo, ſed illam fratribus ſuis nuntiavit: *Veritatem tuam non abſcondi in corde meo, & ſalutare tuum dixi,* (*Pſ.* 118.) & verbis, & exemplis Catholicis, Hæreticis, Sacerdotibus, & Populis. Dei lex pro illis fuit in ipſius corde, & ore: *Lex Dei ejus in corde ipſius.*

2. Sacerdotem ſeſe ſanctificantem, 1. per amorem diſciplinæ Eccleſiaſticæ, 2. per caritatem erga pauperes, quibus ære ſuo xenodochia ædificavit.

3. Sanctum Ordinis Inſtitutorem, qui dedit 1. Sanctos Eccleſiæ miniſtros, quorum opera Eccleſiaſtica revixit diſciplina, 2. vero pauperes Evangelicos, qui vere, & ſine ulla exceptione divinæ providentiæ curis deſerviunt. *Ex Manuſcripto Sermone.*

V. In S. Cajetani perſona oſtendere poſſumus: 1. Sanctum pœnitentem, qui ſemper innocuam vitam duxit.

2. Sacerdotem, qui ſine ulla Eccleſiaſtica dignitate, & ſine alio, quam virtutis ſuæ charactere, in Eccleſia tota auctoritatem exercuit per eam diſciplinæ reformationem, quam invexit.

3. Jeſu Chriſti Confeſſorem, cui martyris nomen poteſt affingi propter paſſiones, quas ſuſtinuit, & mortis pericula, quæ generoſe ſubiit.

Honeſtavit illum in laboribus; quos pro Dei gloria & Eccleſiæ utilitate ſuſtinuit, 1. Cum Deus ipſum elegerit ad Cleri honorem reſtituendum, dignum eum præbuit glorioſo hoc miniſterio magnis illis virtutibus, quibus illum ornavit; videlicet prudentia, zelo, auctoritate, & iis omnibus, quæ requirebantur, ut nobili hoc munere digne perfungeretur.

2. S. Cajetanus huic vocationi reſpondit laboribus ſuis nunquam deficientibus, actibus caritatis, quos erga proximum exercuit, inſtitutione Ordinis, qui exemplis ſuis excivit Cleri fervorem, & fructum inæſtimabilem peperit in tota Eccleſia. *Recens Auctor.*

PARAGRAPHUS II.

Fontes, unde hauriri copia poteſt ad hæc argumenta pertractanda, & Auctores, qui de illis agunt.

VIta S. Cajetani Inſtitutoris Congregationis Clericorum Regularium, vulgo Theatinorum, compoſita a P. Bernardo ejuſdem Congregationis, complectitur quidquid de Sancto hoc dictum fuit; ac illinc mutuati ſumus pleraque ea, quæ in collectaneis hiſce noſtris offerimus.

P. Croiſet in Aſceticis pro ſeptima Sextilis die eximium habet compendium ejuſdem vitæ, ubi præcipua attingit argumenta.

Hermant in Hiſtoria inſtitutionis Ordinum Regularium cap. 60. loquitur de Congregatione Theatinorum.

Vetuſtiſſimi, qui de hoc argumento ſcripſerunt ſunt Silos Congregationis Annaliſta, & Carraciolus Regulæ Interpres.

Maurolicus *in Mari Oceano Religion.*

Spondanus ad annum 1524.

In Officio, quod Eccleſia recitat S. Cajetani adeſt Compendium vitæ, & actionum, virtutumque illius, quarum fuſior videtur enarratio in Bulla Canonizationis.

Joannes Baptiſta de Tuſti Epiſcopus Acerranus in Hiſtoria Clericorum Regularium.

Deficientibus ſermonibus editis, ad MS. confugiendum fuit.

PARAGRAPHUS III.

Loci, exempla, Figuræ, & applicationes Scripturarum huic argumento.

Loci, qui ad Sancti paupertatem referri poſſunt.

NOlite poſſidere aurum, nec argentum, neque pecuniam in zonis veſtris. Matth. 10.

Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Luc. 14.

Ecce ego in paupertate mea præparavi impenſas Domus Domini. 1. Paralip. 22.

Pauperem quidem vitam gerimus, ſed multa bona habebimus, ſi timuerimus Deum, & receſſerimus ab omni peccato, & fecerimus bene. Job. 4.

Pater eram pauperum. Job. 24.

Tibi derelictus eſt pauper, pupillo, & orphano tu eris adjutor. Pſalm. 10.

Paraſti in dulcedine tua pauperi Deus. Pſal. 67.

Animas pauperum ſalvas faciet. Pſal. 71.

Congregationi pauperum affabilem te facito. Eccli. 7.

Altiſſima paupertas eorum, abundavit in divitias ſimplicitatis eorum. 2. Corinth. 8.

Loci zelo illius applicabiles.

ZElus domus tuæ comedit me. Pſalm. 68.

Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Pſalm. 118.

Zelo zelatus ſum pro Domino exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum Filii Iſrael. 3. Reg. 18.

Accendetur velut ignis zelus tuus. Pſalm. 78.

Tabeſcere me fecit zelus meus. Pſalm. 118.

Omnis, qui habet zelum legis, exeat poſt me. 1. Machab. 2.

Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror? 2. Cor. 11.

Vidi prævaricantes, & tabeſcebam. Pſalm. 118.

Qui fecerit, & docuerit, magnus vocabitur in regno cælorum. Matth. 5.

Qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Daniel. 12.

Filioli, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus. Ad Galat. 4.

Zelatus ſum Sion zelo magno. Zach. 8.

Elias dum zelat zelum legis, receptus eſt in cælum. 1. Malach. 2.

Opertus eſt, quaſi pallio zeli. Iſaiæ 59.

Beatus vir, qui inventus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit, nec ſperavit in pecunia, & theſauris &c. Sap. 31.

Loci applicabiles illius auſteritatibus, & humilitati.

MOrtificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris. 2. Corinth. cap. 4.

Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Luc. 9.

Qui Chriſti ſunt carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcentiis ſuis. Ad Galat. 5.

Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis. Pſal. 43.

Hoc ſcientes quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtruatur corpus peccati, ut ultra non ſerviamus peccato. Ad Roman. 6.

Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo. 1. Cor. 9.

Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Joann. 12.

Qui voluerit animam ſuam ſalvam facere, perdet eam, qui autem perdiderit animam ſuam propter me, inveniet eam. Matth. 16.

Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus. 1. Corinth. 25.

Si quis videtur inter vos eſſe ſapiens in hoc mundo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens. Ibid. 3.

Nos ſtulti propter Chriſtum. Ibid. 4.

Loci deſumpti ex Officio Eccleſiæ & Bulla canonizationis.

CAjetanus nobilis Thienæa gente ortus, ſtatim a Matre Deiparæ Virgini oblatus eſt.

Mira a teneris annis morum innocentia in eo eluxit, adeo ut ſanctus ab omnibus nuncuparetur.

Inter Prælatos, a Julio II. collocatus, & ſacerdotio initiatus, tanto divini amoris æſtu ſuccenſus eſt, ut relicta aula, ſe totum Deo mancipaverit.

Noſocomiis proprio ære fundatis, etiam morbo peſtilenti laborantibus ſuis ipſe manibus inſerviebat.

Proximorum ſaluti aſſidua cura inſerviebat, dictus propterea venator animarum.

Collapſam Eccleſiaſticorum diſciplinam ad formam Apoſtolicæ vitæ

vitæ inſtaurare deſiderans, ordinem Clericorum Regularium inſtituit, qui nec vitæ ſubſidia a fidelibus peterent, ſed ſolis eleemoſynis ſponte oblatis viverent.

In urbis Romæ direptione a militibus crudeliſſime vexatus, ut pecunias proderet, quas dudum in cæleſtes theſauros manus Pauperum deportaverant, verbera, tormenta, & carceres invicta patientia ſuſtinuit.

In ſuſceptæ vitæ inſtituto conſtantiſſime perſeveravit, ſibi divinæ Providentiæ inhærens.

Divini cultus ſtudium, nitorem Domus Dei, ſanctiſſimæ Eucharistiæ frequentem uſum maxime promovit.

Hæreſum monſtra, & latebras non ſemel detexit, & profligavit.

Orationem ad octo paſſim horas jugibus lacrimis protrahebat, Corpus integras noctes interdum verberationibus affligebat.

Exempla, & Figuræ ex Bibliis deprompta.

S. Cajetanus & ſocii Eliæ & ſociis illius comparati.

PRæcipuus Eliæ Prophetæ character erat zelus ardens pro Domo Dei: *Zelo zelatus ſum pro Domo Dei Iſrael.* Hunc exercuit præſertim contra pſeudoprophetas, qui in locum divini cultus idololatriam ſurrogabant. Tabeſcebat ille videns Dei legem violari, & ſe unum cum ſervo ſuo Eliſeo ſupereſſe, qui Baal genua minime flecterent. Sanctus, cujus feſtum diem colimus, non ſecus ac Elias zelo Domus Dei conflagrabit. Cordis martyrium perpetiebatur, videns ſanctorum Altarium miniſtros ignem profanum cum ſacro permiſcere, quo coram Deo ardere debebat. Viſcera ejus commovebantur, ubi ſecum reputabat & cleri inſcitiam, & flagitia, in quæ eorum tenebræ illos adducebant. Socium ſibi adſcivit Joannem Petrum Caraffam, illuſtrem Epiſcopum, iique ſollemnibus votis ſeſe obſtrinxerunt, ut Eccleſiæ diſciplinam jamjam fatiſcentem repararent. Vita regularis, quam profeſſi ſunt, voluntaria paupertas, quam amplexi ſunt ad Evangelicæ paupertatis normam, vexillum fuit, quod ſuſtulerunt, ut in Eccleſia Dei optimum præberent exemplum. Omnes Divinæ legis, ſanctæque diſciplinæ amatores eorum exempla ſubſecuti ſunt; & brevi augeri viſus eſt illorum numerus, qui duobus illis Dei ſervis erant futuri fortes illi viri ad Sanctuarii cladem reparandam electi.

S. Cajetanus a militibus multa paſſus comparatur S. Paulino, cui hoc ipſum accedit.

Quid perpeſſus non eſt ſanctus hic vir a militum avaritia, qui Romam diripientes, ubi ille effulſit obſidionis tempore, cupiditatem ſuam explere contendebant, eripere illi cupientes opes, quas ejus Caritas pauperum manu in cæleſtes theſauros traſmiſerat! Nulla extitere tormenta, quibus illum non affecerint: carceres, verbera aliaque quæcumque genera ſuppliciorum expedita fuerunt ad extorquendam a Sancto viro confeſſionem loci, ubi theſaurum occuluiſſet. Inter hos cruciatus, quid tibi dicebat, Domine? ut olim inſignis S. Paulinus ſimili exagitatus martyrio, dicebat, te non latere, ubi omnia bona ſua collocaſſet; te illius unicum eſſe theſaurum; in terra nihil eſſe, quod cor ejus illicere poſſet, & flagris dolatus ab inhumanitate militum, beatum ſe putabat, quippe qui dignus habebatur, qui pro J. C. pateretur. Apoſtolicæ paupertatis, atque conſtantiæ inter graviſſimos cruciatus heres fere videbatur non ſolum cum invicta patientia, verum etiam cum gaudio: *Verbera, tormenta, & carceres invicta patientia ſuſtinuit.* (*In Officio.*) Quam beati vos eſtis, S. Paulus ajebat fidelibus nuper converſis; non ſolum quod bonorum veſtrorum jacturam paſſi eſtis; verum etiam quod illam cum alacritate animi paſſi eſtis. Quam beatus eſt S. Cajetanus, non eo ſolum quod ex eorum fuit numero, qui pro juſtitia patiuntur: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*; verum etiam quod huic felicitati adjecerit conſtantiam, & lætitiam, quæ illum commendat, & Apoſtolis comparat.

S. Cajetani zelus Davidico cōparatus.

Perrarum eſt invenire zelum ita ardentem, qualis fuit David, qui illatis Deo ſuo contumeliis perinde afficiebatur, ac illatis ſibi. *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me.* (*Pſ.* 118.) Et magis adhuc infrequens eſt, quam tabeſcere corpore, ac illud in extremum virium defectum redigere, quemadmodum David ipſe loquitur: *Tabeſcere me fecit zelus meus; quia obliti ſunt verba tua inimici mei.* (*Ibid.*) Poſt tot vulnera Deo, & Eccleſiæ inflicta, jure damnandi ſumus, quippe qui eadem nullo in diſcrimine habemus; argumento ſunt enim neque Salvatorem, neque Sponſam ejus Eccleſiam diligi a nobis. In S. Cajetano dignum habemus Davidici zeli, & amoris ſucceſſorem. Cor illius ita illis plenum eſt, ut corpus ejus eorum notas præſeferat, & ita contabeſcat, ut Sanctum illum caritatis Martyrem factum fuiſſe dicere liceat. Videt, inquit vitæ ejus hiſtoricus, populum ſceleribus ſuis, & impœnitentia irritare Deum; æque dolore conficitur, propterea quod videt & illius Majeſtatem dedecore affectam, & fratres ſuos feſtino gradu in viam perditionis irruere. Dolor, qui cor ejus coarctat, corpus etiam atterit; præ zeli vehementia ægrotat, & moritur; *Denique ex animi dolore morbo concepto, quod offendi plebis ſeditione Deum videret, migravit in cælum.* (*In Officio.*) Excita Domine in nobis ſenſus adeo acres, qui de corde in corpus uſque pervadentes, ibi ſalubres efficiant impreſſiones. Caritas tua in nobis eumdem obtineat effectum, quem in carnibus clavi: *Confige timore tuo carnes meas.* (*Pſ.* 118.) Amor tuus ita regnet in nobis, ut extrinſecus ſentiamus, quod auget gloriam ſuam, & quod illam dedecorat. *Hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu.*

S. Cajetanus Judæ Machabæo comparatus Sanctuarii emundanti, & Sacerdotes pro Dei cultu inſtituenti.

Nullum exemplum, vel figuram commodiorem invenio ad exprimendum glorioſi S. Cajetani miniſterium, quam Judam Machabæum. Ille enim in Dei Eccleſia præſtitit illud ipſum, quod ſtrenuus hic Imperator, ad reparandum Domini cultum in Sion poſt delatas hoſtium copias, qui urbem illam vaſtaverant. En quid dicat Scriptura: *Elegit Judas Sacerdotes ſine macula voluntatem habentes in lege Dei: & mundaverunt Sancta; & tulerunt lapides contaminationis in locum immundum; & cogitavit de Altari holocauſtorum, quid de eo faceret.* (1. *Mach.* 4.) Numquid aptior inveniri poteſt figura ad ea innuenda, quæ a S. Cajetano facta ſunt; qui zelotes conſtituit Sacerdotes, & irreprehenſibiles, acri accenſos deſiderio efficiendi, ut Dei lex ſervaretur; qui quidem duxerunt initium ab emundatione ſanctuarii, & ablatione *lapidum contaminationis*, videlicet ſcandali, qui temporum lapſu irrepſerant; & qui mox operam ſuam locarunt, ad inſtaurandum Altare veri Dei, curam gerentes, ut fideles miniſtri inſtituerentur.

Applicatio nonnullorum Scripturæ locorum huic argumento.

S. Cajetanus Sacris initiatur juſſu Summi Pontificis.

NEc quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Hebr. 5. Licet S. Cajetanus Sacerdotio poſſet inſigniri, quin id ſibi religioni verteret, etenim non ſolum illi non deerat ſcientia omneſque ad id neceſſariæ virtutes, & deſtinabat illum Deus ad Clerum reformandum, & Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituendam; tamen abſtinuit, & patienter Summi Pontificis imperium præſtolatus eſt. Cum ordo Eccleſiaſticus jam fere corruiſſet, ſatis commune erat, ut ſinguli ſemet ad ſacrum miniſterium vocarent, & ſine ulla auctoritate in Eccleſiaſticos ordines ſe præcipites darent. Superficiale in nobiſmet experimus ſalutis deſiderium, & poſtquam vitam ſatis æquo liberiorem duximus, credimus ſacerdotium ſtatum eſſe pœnitentiæ; recentia adhuc vulnera nobiſcum ferimus, & quorum graveolens odor inficit populum, non convertit, & cogitamus noſmet in ſublimem ſtatum hunc inſerentes jam dimidium curſum ad perfectionem abſolviſſe. Nequaquam temere Cajetanus ſacris ſeſe immiſcuit myſteriis, nonniſi caute, ac per intervalla ad illa ingreſſus eſt. Proceſſit prout creſcebat lumine, ſapientia, humilitate, cum illi perſuaſum eſſet gradus, per quos ad Sacerdotalem dignitatem aſcendendum eſt, virtutes eſſe præſtantiſſimas, in quibus admodum profeciſſe opus eſt, ita ut mereri potuerimus, ut a Deo tanquam Aaron, vel ipſe Dei Filius vocaremur. Quin ſeipſum proferret, & oſtentaret ſcientiam, quam jugi divinæ legis meditatione ſibi comparaverat, hac ſeipſum aluit diu clam, antequam ambitioſe magiſterii palmam appeteret: primuſque conſummatæ hujus ſcientiæ finis fuit modeſtia, & ſilentium, quod ſemper obſervavit, donec placuit Deo illum proferre, aliiſque Doctorem dare. Quamvis præclarum haberet bonorum operum teſtimonium, ac perfecti amoris, quo Deum proſequebatur, expectavit, donec Dei voluntas per Summi Pontificis Julii II. voluntatem ſe proderet, a quo Sacerdotali munere auctus fuit, & per hoc ad altiores Eccleſiæ gradus diſpoſitus; *inter Prælatos a Julio II. collocatus, & ſacerdotio initiatus eſt.* (*In Officio.*)

S. Cajetanus ſacros ordines ingreditur ſine macula.

Talis decebat, ut nobis eſſet Pontifex Sanctus, innocens, impollutus; ſegregatus a peccatoribus. Ad Hebr. 17. Docent Patres ad vocationem adeo ſublimem requiri, vel puritatem nulla unquam ſæculi contagione vitiatam, vel pœnitentiam adeo diuturnam, ut veterum plagarum ne cicatrix quidem ſuperſit. Videlicet, ut quis ad gradum adeo ſublimem admittatur, requiritur vel pœnitens, qui jam ſua lacrimis crimina eluerit, vel innocens, integer vitæ, ſceleriſque purus: *Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus.* Sanctus, quem hodierna luce colimus, ab extrema uſque pueritia prætetulerat ſapientiam ſupra ætatem eo uſque, ut ſuperaret ſapientiam ſeniorum, qui in prudentia, omnibuſque perfectionum generibus conſummati erant, ita ut vere dicere poſſet: *ſuper ſenes intellexi, quia mandata tua quæſivi.* (*Pſ.* 118.) Morum ejus integritas ita elucebat, ut ab omnibus Sanctus & haberetur, & vocaretur; *ut ſanctus ab omnibus nuncuparetur.* (*In Officio.*) Ecce igitur Sacerdos electus a Deo, ut digne offerat ſacrificia pro peccatis populi, non ſine ſpe illum ab Omnipotente exauditum iri; quippe ornatus eſt omnibus perfectionibus neceſſariis ad ſtatum hunc, & quia non verbis ſolum, ſed multo magis exemplis erudire poteſt populos, eoſque tuto deducere ad Deum. Tribue, Domine, Eccleſiæ Sanctæ tuæ id genus miniſtros, qui te colant, & ſanctitate vitæ ſuæ ſacerdotium ipſum condecorent. Fac, ut afferant aris tuis vel innocentiam, quam inter adoleſcentiæ pericula, & ſæculi corruptionem ſartam tectam ſervarint, vel innocentiam prorſus reparatam digna pœnitentia. Illis largire gratiam, ut prodeſſe valeant populis tuis, non ſolum prædicatione ſancti verbi tui, verum etiam exemplis, trahentes ad te peccatores bono virtutum ſuarum odore. Illis gratiam concede, ut ad pedes tuos afferant trophæa de cupiditatibus devictis, ut fidenter accedere valeant ad Majeſtatis tuæ ſolium tanquam mediatores inter te, & populum tuum; Sancti, innocentes, ſine macula &c. *Sanctus, innocens, impollutus,* &c.

S. Cajetanus pauperibus diſtribuit, & panem ſpiritualem ad nutriendas animas, & panem materialem ad alenda corpora.

Hi ſunt viri miſericordiæ, quorum pietates non defuerunt. Eccli. 44. Diſcite a S. Cajetano vobiſmet amicos comparare, qui tandem aliquando vos recipiant in æterna tabernacula. Medium invenietis in egenorum turba ſanctum hunc illis ſpiritualem panem diſtribuentem ad eorum animas nutriendas, ſimulque panem materialem, ad alenda corpora. Uno tantum facto duo explet Religionis officia; eorum ſolatur miſeriam caritate; verbiſque inſpirat patientiam. Oſtendit illis Eccleſiaſticum in dignitate conſtitutum, eſſe debere pauperum patrem; manus, quæ J. C. deferunt, adhibendas eſſe, ut illi deſerviant in membris ejus, & dicendum eſſe, pauperes magnos eſſe coram Deo, quia ipſi etiam Eccleſiæ Principes deſtinati ſunt, ut illis omnia, quibus indigent, præſtent caritatis officia: Hac ratione fidem illorum confirmant, amabilem illis reddunt paupertatem; efficiunt ut credant re ipſa J. C. in ſe honore affici, & ſi ſollicita ab ipſis opera impenditur, hoc facere, ut audiant ſuaviſſimam illam Salvatoris invitationem die noviſſima, qua ille homines caritate plenos alloquetur: *Venite benedicti Patris mei: eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare &c.*

Vigilantia & Oratio S. Cajetani juges fuerunt.

Vigilate, & orate &c. Matth. 26. Duo hæc officia mutuo ſibi cohærent, ac ſibi invicem loco ſunt finis, & medii; Vigilandum eſt orantibus; & qui non vigilant, nequeunt orare. Duæ iſtæ conditiones ſunt inſeparabiles: *Vigilate & orate.* Vigilantia medium eſt, & oratio finis, quæ ut etiam medium ad vigilantiam obtinendam. S. Cajetanus duo hæc dona poſſidebat, & per hæc Satanæ inſidias eludebat. Octo horas in oratione tranſigebat, atque precum ſuarum praxi ſeſe reficiebat, quia in illis quietem, deliciaſque ſuas conſtituebat. In hac mortali vita, alterius tyrocinium ponebat; tempora prævertebat, in terris incipiens, quod in cælo erat perennaturus. Seſe Angelis inſerebat, quibus non aliud negotium eſt, quam Deum laudare. Metuamus, ne Satanas proficiat aditu, quem vacuum illi relinquimus, cum ab oratione ceſſamus. Cum duplex hoc vallum animæ deeſt, vigilantia & oratio, pene ſubſequitur tentatio & lapſus. Sibi diligentiſſime cavebat Cajetanus; cordis aditus non patebant, niſi qua cælum ſpectabat. Satanas, qua ingrederetur, non inveniebat; neque prævaluit unquam contra Sanctum hunc virum, qui pedibus ſuis communem naturæ noſtræ inimicum obtrivit. Qua autem de cauſa? Qua jugiter vigilabat, & orabat, ne tentatione ſuccumberet: *Vigilate, & orate.*

Quid dicis de te ipſo? Joann. 1. Hoc judæorum nuntii ad Præcurſorem Filii Dei miſſi percontati ſunt. Sed vehementer errabant; ſi enim de Sanctis judicium ferendum eſt ex eorum teſtimonio, illi ſunt peccatorum omnium nequiſſimi; ſin autem Dei ipſius judicium ſpectamus, glorioſi ſunt propter omnes illas virtutes, quibus ipſe illos ornavit, propter laborum, quos ſubierunt, magnitudinem, & propter benedictiones illas, quibus cumulati fuere. Si S. Paulum audimus de ſe loquentem, dicet ſe noviſſimum eſſe Apoſtolorum, ac minime dignum, qui hoc nomine appelletur; ſe perſecutorem eſſe. Verum ſi divinam conſulimus Sapientiam, vas eſt electionis, qui ferre debet nomen J. C. ad omnes Reges, & Principes, ut univerſus terrarum orbis illud colant, ac venerentur. Interrogemus S. Cajetanum; reſpondebit, ſe tenebras eſſe in mente ſua, in voluntate vero obdurationem; nihil unquam ſe feciſſe propter Deum, nihil propter homines; ſe terram eſſe ſterilem, & quæ Domini tantum maledictiones mereretur. Reſpondebit ſenſus ſuos rebelles eſſe, & immortificatos; zelum ſibi deeſſe, & omnem orationis illecebram. Denique ſi ab illo nobis exprimendi eſſent colores, ad imaginem illius exhibendam, fruſtra huc conveniſſemus. Tamen docet veritas illum Prophetam fuiſſe, Ordinis Eccleſiaſtici Inſtitutorem, ſanctum Sacerdotem, Eccleſiaſticum domus Dei zelo flagrantem, patrem pauperum, & ardore caritatis ipſis etiam Apoſtolis parem.

Quænam eſſet materies zeli, & meditationum illius.

Quis ſcandalizatur, & ego non uror? Quis infirmatur, & ego non infirmor? 2. Cor. cap. 11. Sanctus hic vir univerſalis Eccleſiæ malis occupatus erat, cum S. Paulo clamabat: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Prolixiſſimæ preces vix ſatis erant ardori zeli ipſius. Numerabat Regnorum, & ſingulorum privatorum mala, neceſſitates exercituum, publicorumque conſiliorum; cogitabat enim ſe cum illis conjunctum, unamque familiam conſtituentem, cujus caput eſt J. C.; in partem accedebat omnium temporalium, atque ſpiritualium eventuum; & cum nos per inſanam curioſitatem ea quæ recens accidunt, conquiramus, ille e contra iſthæc omnia in precum materiam convertebat. Si Deus propter hominum peccata ad iracundiam provocatus erat, ad illam cohibendam ſeſe proſternebat. Si Deus bonitatis, & miſericordiæ ſuæ manifeſtabat effecta, ipſe gratiarum actiones Deo referebat. Hæc erant precum illius argumenta; & ſi meminiſſe voluerimus verborum Scripturæ præcipientis, ut inceſſanter oremus, non ſecus ac magnus hic Sanctus in Eccleſiæ afflictionibus aſſiduæ orationis argumenta inveniemus.

Profunda S. Cajetani humilitas.

Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. Si ex me quæſieritis, S. Auguſtinus ait, quænam omnium virtutum princeps habenda ſit, reddam, ait, eſſe humilitatem. Rurſus ſciſcitantibus quænam ſecundum obtineat gradum; reddam iterum, & hunc ab humilitate obtineri; ac ſimiliter cuilibet interrogationi reſpondebo. De humilitate idem ac de amore, virtutum omnium anima, ſentiendum eſt; cum potius virtutes omnes non ſint aliud, quam amor ſub diverſo nomine. Humilitas pariter ita eſt virtutum omnium fundamentum, ut partem conſtituat amoris Dei, partem temperantiæ, partem ſapientiæ &c. ut ita dicam in omnium virtutum compoſitione deſideretur. Hæc ſuave facit Domini jugum; nihil enim moleſtum eſt illi, qui hac munitus eſt cogitatione: mala quæ ſuſtinemus toto cælo minora illis eſſe, quæ meremur. S. Cajetanus cum lacrimarum, orationis, & mortificationis dono in ſupremo gradu, profundiſſimam etiam habebat humilitatem. Mundi Salvator hac etiam virtute illum decoraverat; plenam nihili ſui cognitionem contulerat. Hanc habebat humilitatem, quam Dei Filius non tantum in incunabulis ſuis, ſed in omnibus mortalis vitæ ſuæ actionibus, in morte vero potiſſimum prætetulerat. Sanctus noſter, qui ingens attollere meditabatur ædificium, altius quam fieri potuit, effodit fundamentum, videlicet humilitatem. Nihil illi magnum viſum eſt præter Deum: huic comparata omnia illi atomi videbantur; ſed nihil oculis ejus minus viſum eſt ſeipſo. Quæcumque gloria ab hominibus ipſi accidere poſſet, inanis, & merum nihilum videbatur. Propriæ virtutis celebritas illi gravis erat. Cum de ipſo obtrectaretur, tunc illi perſuaſum erat, juſtum ferri judicium; cum laudibus exciperetur, ſtupebat, quod de ſe tantus error apud omnes percrebuiſſet. Cum ſuper magnificum veluti ſolium ab aliis attolleretur, ſemet intra nihili ſui caliginem recipiebat, in Deum laudes omnes rejiciebat, & ſemet ipſum judicans pro interiori conſcientiæ ſuæ tribunali ſemet tanquam perditiſſimum peccatorem, & mortalium omnium nequiſſimum condemnabat.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & ſententiæ Sanctorum Patrum, & aliorum, qui Sancti hujus virtutibus & factis poſſunt congruere.

C*Omedebat eum zelus Domus Dei, quam tamen zelabat Chriſto, non ſibi.* S. Auguſt. in Pſal. 139.

Bonus zelus eſt fervor animi, quo mens objecto humano timore pro defenſione veritatis accenditur. S. Bonaventura lib. 4. in Paſcha.

In quantum vos profeciſſe putatis, etiam vobiſcum alios trahite: in via Domini ſocios habere deſiderate. S. Gregorius homil. 6. in Matth.

Si ad Deum tenditis, curate ne ad eum ſoli veniatis; hinc in Apocalypſi legitur: Qui audit, dicat, veni; ut qui jam in corde vocem ſupremi amoris acceperit, foras etiam vocem exhortationis reddat. Idem ibidem.

Magna res, & pretioſa, vir miſericors. Hæc major eſt gratia, quam mortuos ſuſcitare; multo namque paſcere Chriſtum majus eſt, quam mortuos ſuſcitare in nomine Jeſu. S. Chryſ. homil. 36.

Tanto quiſque perfectior eſt, quanto perfectius ſentit dolores alienos. S. Gregor. lib. 19. Moral.

Ubi Deus curam miſericordiæ, ibi imaginem ſuæ pietatis invenit. S. Leo ſerm. 10. de Quadrageſ.

Scimus, quia in oculis Dei plus meriti eſt ſæpe mortificari, quam mori. Richardus Victor. in Pſal. 118.

Nonne mors martyrum tanto erat pretioſior, quanto mortem præcedens pœna productior? quibus volentibus mori, non dabatur occidi? Nonne prædeſtinatis ad vitam, hoc ipſum ad gloriæ cumulum proficiat, quod ſine acri pugna, ſine acerba pœna, carnalis in eis vita non deficit? Idem ibidem.

Non tibi diſpliceat noſtra paupertas, nihil ea ditius poteſt inveniri. Vis ſcire, quam locuples ſit? Cælum emit; quibus theſauris conferri poſſit, quod pauperibus viderimus indultum. S. Auguſt. de verbis Apoſt. ſerm. 28.

Affatim dives eſt, qui cum Chriſto pauper. S. Hieronym. Epiſt. ad Eliod.

Solum illum Deus divitem novit, qui ſit dives æternitati, qui non opum, ſed virtutum fructus recondit. S. Ambr. lib. 2. Epiſtol. 4.

Commodiſſimum virtutis organum Paupertas. Greg. Nazianz.

Qui diligitis Chriſtum, rapite omnes ad amorem Chriſti: Nolite ceſſare lucrari animas Chriſti. S. Auguſtinus.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ penu hoc in argumento valeat depromi.

NOn niſi imperfectum vobis de S. Cajetani Thienæi virtutibus conceptum aſtruerem, ſi illius elogium exornaturus nequaquam ſumerem initium a definitione ejus Ordinis, qui eidem ſua debet incunabula in Eccleſia.

Quid ſit Clericus Regularis in Eccleſia.

Nominis hujus, Clerici Regularis notio, ciet in audientium animo characterem hominum, qui cum irrevocabilibus votis ſeſe Deo devovent, cum Sacro Sacerdotii munere exercent: qui divina offerunt myſteria ut Sacerdotes; & ſecus a mundo gemunt, ut Cœnobitæ. Juxta notionem hanc, quæ ſimplicior videtur, Clericus Regularis debet ſe ipſum ſilentio expiare, & mox expiare alios miniſterio verbi; ædificare debet Eccleſiam orationibus ſuis cum humilibus Cœnobitis, eique cum ſacris Miniſtris talentis ſuis deſervire. Hæc præter propter mens erat S. Hieronymi, cum per modeſtiam ſuam ſeſe conſiderans tanquam hominem e vulgo, a Hierarchico Ordine avulſum, ad eos, qui Clericali miniſterio perſungebantur, remittebat Evangelici Verbi diſpenſationem, ſibique aſſumebat neceſſitatem ſemet eodem cum humilitate, ac ſimplicitate nutriendi: *Clerici paſcunt oves, ego paſcor.* (*Ad Heliod. de laud. vitæ ſolit.*)

Hujus nominis etymologia.

Clerici nomen ex ipſo fonte petitum nos etiam diſponet ad funditus intelligendum ſpiritum illorum, qui ſimul & Regulares ſunt, & Clero initiati. Nomen hoc a Sanctis Apoſtolis, primiſque J. C. diſcipulis duxit originem. Horum Princeps S. Petrus hoc verbo uſus eſt in epiſtola prima, cum Eccleſiaſticos hortaturus ad humilitatem illius, cujus miniſtri ſunt, Superioribus ambitioſam, ſuperbamque in Clerum dominationem interdixit: *Neque dominantes in Cleris*. (*Petri ep. 1.*) Hæc origo eſt tituli hodierna die in Eccleſia celeberrimi: origo ſane memorabilis, & ipſi ſuppar Eccleſiæ. Ut autem nominis hujus vim intelligamus, apud vos ſignificat ſortem, ac partem, ita ut Deus proprie ſit ſors, & pars illius, qui Clerici titulo decoratur, & qui ſub hoc titulo ſtatum Eccleſiaſticum amplexus eſt; & hic idem homo proprie bonum eſt, & inalterabilis poſſeſſio Dei, prout Deus eſt totum bonum illius. Ita loquitur S. Hieronymus Doctor maximus.

Diſcrimen inter Clericum Regularem, & Eccleſiaſticum generatim ſumptum.

Diſcipuli S. Cajetani Thienæi Clericorum prærogativæ, alteram adjiciunt, Regularium, juxta Conſtitutiones Summorum Pontificum. Prima qualitas illos ſecernit ab Anachoretis, qui in primitiva Eccleſia in deſerta, & ſpecus ſe recipiebant; altera vero illos ſecernit ab Eccleſiaſticis, qui ſub peculiari regula minime viventes, in mundi luce verſantur, ac gaudent jure hereditatum, & poſſeſſione bonorum temporalium. Ita Clericus per ordinationem fit Altarium miniſter; ſed Clericus Regularis, ſeu Canonicus, nomina ſunt, quibus Patres utuntur, homo eſt, qui in fratrum ſuorum ſocietate ſe ſanctificat per Evangelii prædicationem, quin inde aliquod lucrum quærat, & per jugem obſervantiam eorum officiorum, quæ ab eo regula exquirit.

Qua in re potiſſimum filii S. Cajetani a cæteris diſtinguantur.

Ut magis ad vivum exhibeatur tabula Clericorum Regularium S. Cajetani, conceptui, quem ſuperius aſtruximus, addenda eſt profeſſio paupertatis extremæ, quam Sancti magni hujus Viri diſcipuli emittunt, ita ab omni excogitabili proprietate abhorrentis, ut ad eam probandam nihil minus requireretur, quam auctoritas, & exemplum Filii Dei, qui voluit, nos omnino confidere in Dei ſemper benefici providentia, ac in eo collocare curas omnes præparandi nobis omnia ad victum neceſſaria, omniaque noſtris infirmitatibus adjumenta. Profecto nihil magis confundi humanæ prudentiæ conſilia, quam cordis ab hoc mundo abalienatio; quæ eo procedit, ut non ſolum omnibus mundi bonis abrenunciet, verum etiam omnem abjiciat curam ea ſibi comparandi, vel per ſimplicem modeſtamque veræ egeſtatis ſignificationem, vel alia qualibet via, quantumvis honeſta. Et profecto nihil requirebatur minus, quam Salvatoris auctoritas, & exemplum, ne illi etiam, qui æquiſſimi haberentur, & vocarentur, Sanctum hujus Inſtituti auctorem incuſarent, quaſi recto ſenſui, omnibuſque luminibus rationis injuriam feciſſet, Diſcipulos ſuos ad extremam hanc egeſtatem coarctans. Hic ſpiritus eſt filiorum S. Cajetani; qui non cognoſcerentur, niſi imperfectiſſime, niſi ratio haberetur auſteriſſimæ hujus paupertatis, quæ illos ſecernit ab omnibus Ordinibus & Regularibus, & Mendicantibus. Poſſumus tamen aſſerere Dei Sapientiam deſcripſiſſe hoc inſtitutum, quantumvis ſingulare videatur, ipſorum Apoſtolorum inſtituto admirabilius. Hi Sacerdotes inuncti fuere in cœna Domini, & Epiſcopatus charactere poſt illius reſurrectionem fuerunt inſigniti. Hoc pacto Sacerdotibus, & Epiſcopis per duplicem ordinationem, nemo illi primitias, & præeminentiam Clericatus in dubium revocat, neque profeſſionem, qua ſibi non aliam, quam in Providentia, opem ſibi ſupereſſe gloriabantur. Juxta hoc Exemplar credidit Cajetanus ſe Inſtitutum ſuum informare poſſe, quod eo perfectius eſt, quo Apoſtolicæ vitæ conformius.

Clerici Regulares S. Cajetani orationẽ ad actuoſitate conſociant.

Ad abſolutiſſimum Regularium Ordinum decus, & Eccleſiæ ædificationem videbatur adhuc novum requiri inſtitutum, quod religioſæ diſciplinæ regularitatem cum Eccleſiaſtici miniſterii actuoſitate conjungeret; quod doctrinam cum pietate, lacrimas, ſanctoſque Cœnobitarum anhelitus cum muneribus, laboribuſque Præconum Evangelicorum conjungeret. Tale fuit S. Cajetani conſilium in novo Clericorum Regularium Ordine inſtituendo. Eos modo voluit in ſolitudine orationi vacare, non ſecus ac auſteriſſimos Anachoretas, modo prædicationibus operam dare, non ſecus ac alios Evangelicos operarios ſolitudinem cum ſocietate commiſcentes, ſemper occupatos, ſed citra perturbationem, atque tumultum, ſemper collectos, ſed citra otium, atque inertiam; in ſolitudine a Patre luminum petentes vires, quibus poſt hæc valeant dona illius inter fideles diſtribuere, eique veritates Evangelicas annunciare.

Sanctus ad recens Inſtitutũ formandũ pro exemplari ſumit extremã Apoſtolorũ nuditatem.

Dubitari nequit, quo minus in recenti inſtituto ſuo voluerit S. Cajetanus imitari extremam paupertatem, quam Apoſtoli, primique fideles profitebantur; hic enim præcipuus Clericorum Regularium character, quorum ille eſt Inſtitutor. Abrenunciaverant Apoſtoli omnibus, quæ poſſidebant, & quæ ſperare poterant in ſæculo, ut libere J. C. pauperem, humilemque ſequerentur, & hoc facto viam omnibus religioſis ritibus præparare videbantur. Quod vero in recenti Clericorum Regularium Ordine peculiare eſt, hoc eſt, quod quamvis Apoſtolis, primiſque J. C. diſcipulis liceret teſtari neceſſitates ſuas, & a fidelibus ea petere, quibus indigebant; filii Sancti, quem laudandum ſuſcepimus, ipſum etiam abjecerunt jus ciendi miſerationem populi vel ipſa ſimplici, ac nuda narratione eorum, quibus indigerent. Hinc factum eſt, ut per votum adeo inuſitatum, & quod rationi ipſi videtur oppoſitum, S. Cajetani diſcipuli facti ſunt illuſtrius Religioſæ paupertatis exemplum. Poterant jure ſuo Apoſtoli expectare, immo etiam exigere a grato fidelium animo, unde in exercendis miniſterii ſui laboribus alerentur; cum enim Altari deſervirent, æquum erat, ut de Altari viverent, & reficerentur fructibus vineæ, quam excolebant. Quærebant illi tamen laboribus manuum ſuarum ſubſidia, quæ jure æquiſſimo a fidelium pietate expetere valuiſſent. Hoc permiſit Providentia, ut prælucerent Regularibus Clericis S. Cajetani, qui illos poſt temporum lapſum propius erant imitaturi.

Et perfectã paupertatẽ primorum fidelium.

Ubi conſiderantur Primi Fideles ita affecti, ut nudi nudum ſequerentur J. C., ut unice de cæleſti regno eſſent ſolliciti, quod illis ipſe pollicitus fuerat, ut ad illud obtinendum terrena omnia contemnerent, ubi ſibi vim facerent illius poſſeſſionem adituri; nemo profecto mirabitur, ubi illos mundo abrenunciare, bona quæ poſſidebant, vendere, conflatum ex hereditatibus aurum ad pedes Apoſtolorum conferre, eorum arbitrio opum ſuarum diſpenſationem permittere, nihil ſibi, ne ſpem quidem rerum ſæcularium reſervare, conſpexerit præter rerum omnium abdicationem, ut J. C. ſequerentur, qui nihil in terris poſſidebat. Nullo habebant in diſcrimine familias, filioſque ſuos, quibus ſatis conſultum putabant a ſe fuiſſe, cum illos Eccleſiæ crediderant. Et ſane communis hæc filiorum mater, ex quo in eorum jura tranſierat, eorum curam ſedulo gerebat; Matris officia quæ illis præſtabat, bonorum omnium loco erant; officia hæc ad eorum quoque poſteritatem migrabant; tantaque erat erga ipſos Eccleſiæ diligentia ſimul, & benevolentia, ut nunquam tenerentur deſiderio bonorum, quibus ſe ipſos privaverant. Non loquor autem de alia privationis hujus ſarciendæ ratione, qua neceſſaria ſibi compararent, & caritatis opera exercerent: videlicet de labore manuum, cujus Apoſtoli præcepta, atque exempla reliquerant. Labore igitur manuum victum ſibi comparabant, ſed voti compotes non erant, niſi de proximi etiam victu cogitaviſſent. Nulla apud ipſos erat quæſtio de ſuperfluo; vix enim illis erat neceſſarium. In alicujus neceſſitatem ſuggerebant, quod cum vultus ſui ſudore fuerant adepti; & labor omnis, qui alium habuiſſet finem, illi viſus fuiſſet inutilis. Nulli tunc erant pauperes, quamvis tot eſſent pauperes, quot Chriſtiani; cum enim de divitiis ageretur, omnes erant æquales, cum omnia eſſent communia; nomina illa juges litium rixarumque cauſſæ *meum*, ac *tuum* nullum apud eos locum habebant, quia J. C. & Eccleſia inexhauſti illis erant theſauri, in quibus omnia poſſidebant. Juxta hoc admirabile exemplar S. Cajetanus recens extruxit ædificium, quod non minimum hodierna die eſt Eccleſiæ J. C. ornamentum, inſtituens Ordinem Clericorum Regularium, qui ad litteræ apicem ſequuntur magna exempla perfectæ hujus abdicationis, quam primi fideles non ſecus ac Apoſtoli profeſſi ſunt.

S. Cajetanus congregationem ſuam inſtituit ut exẽpio eſſet Clericis qui æquo licentius vivebant.

Ad prohibendum curſum criminum, ac flagitiorum, quæ in Eccleſiaſticum ſtatum tunc temporis obreperant, objiciendi erant Sacerdotes, quorum vita eſſet ab omni labe vacua, & qui caritatis ardorem lumini doctrinæ conjungerent: qui prope Clericorum Regularium ſpiritus eſt. Quatenus Regulares ſe ipſos ſanctificant meditatione, & laboribus pœnitentiæ, & procul a mundo ſe nutriunt æternis veritatibus, quæ in ſolitudine, ac ſilentio cupiditatum longe melius guſtantur. Quatenus Clerici, ex ſemet, ut ita dicam, egrediuntur, & effundentes has veritates, quibus redundant, ſæculi flagitiis, ac tenebris hæreſeos fidei facem opponunt, & molliunt duritiem peccatorum, excitantes in mentibus eorum terribilium Dei judiciorum formidinem: Hæc in recenti congregationis ſuæ inſtitutione ſpectabat S. Cajetanus; neque aliud in ejus animo conſilium obverſabatur, quam Clericos Regulares ita inſtituere, ut eorum vita, mores, & doctrina eſſent exemplo hominibus, qui ſtatum Eccleſiaſticum fuerant amplexi, ut vitæ rationem mutarent, ſtatus ſui munera obirent, & cooperarentur ad populos in ſancta doctrina continendos.

Quo in caſu actio cõtemplationi ſit præferẽda

Quæritur inter Theologos, utrum ſi occurrant occaſiones quædam ſejungendi actionem a contemplatione, utra ſit præferenda. Patres reſpondent eo in caſu, in quo obedientia Eccleſiaſticis Superioribus debita, vel circumſtantiæ quædam non adigunt nos ad opem proximo ferendam, tunc nobis contemplationi eſſe vacandum. Pietatis ordo, inquiunt, efficit ut amemus ſtudium veritatis, & pariter officia caritatis. Verus Dei famulus externa non quærit negotia, ſed ubi ſeſe offerunt, illa non fugit: *Otium Sanctum quærit caritas veritatis: negotium juſtum ſuſcipit veritas caritatis*. (*S. Auguſt. de Civit. Dei.*) Hoc S. Auguſtini placitum dignum eſt ejuſdem ſapientia; & Sancti, qui illum ſecuti ſunt, ipſum ſolidis confirmant argumentis. Tenet S. Bernardus, caritatem quam ſibi quiſque debet, primas tenere poſt illam, quæ nos adnectit Deo. Conſideratio veſtra, (*De conſid. lib. 2.*) ait ille, a vobiſmetipſis incipiat; ne obliviſcamini veſtrum, effundentes voſmet in ea, quæ ſunt extra vos. Quid vobis proderit univerſum lucrari mundum, ſi animæ veſtræ jacturam feceritis? In Patris hujus ſententiis luculenta videtur tabula vitæ, ac morum S. Cajetani. Suimet ipſius conſideratione, & profunda Judiciorum Dei meditatione primum ad ſuimet ſanctificationem animum appullit. Illi acriter perſuaſum erat ad hoc, ut par fieret aliis ſanctificandis, initium

initium ſibi ducendum eſſe a ſuimet ipſius ſanctificatione; neque Dei verbum aliis prædicare cœpit, niſi antea cor ſuum jugi rerum cæleſtium contemplatione expiaſſet.

S. Cajetani Inſtitutum unice innititur Caritati.

Quinam eſſe debet Religioſi hominis ſcopus? Hic vere non eſt, ſolitarius quidam apud Caſſianum reſpondet, nuditas, & rerum omnium carentia; neque honorum, ac dignitatum abdicatio. Hæc omnia pro nihilo habentur, ſi deſit Caritas, quam S. Paulus per ſingula capita exponit, & quæ in ſola cordis puritate ſedet. Si ergo Religioſus ſeſe in ſolitudinem recipere debet, ſemet durare laboribus, carnem auſteris jejuniis mortificare, animum aſſidua lectione nutrire, vigiliis laqueos tentatoris detegere, ejuſque conatus precibus frangere: hæc illi præſtanda ſunt, ut per hæc exercitia, tanquam per gradus, ad Chriſtianæ caritatis apicem ſe attollat. Patet, hac eadem Caritate animatum fuiſſe ſummum virum Cajetanum Thienæum; eamdemque illius lumen, ac robur fuiſſe in ſtatibus omnibus, per quos illum deducere divinæ placitum fuit Providentiæ; quandoquidem regula ejus lex eſt Caritatis; & mens ejus Congregationem ſuam inſtituentis erat illos, qui ad eamdem evocarentur a Domino, ad perfectiſſimum caritatis cumulum evehere.

Sancta Paupertas præcipuum eſt fundamentum, ſuper quod S. Cajetanus ſuũ inſtitutum, extruxit.

Dicere poſſumus ſacrum miniſterium, & Eccleſiaſticorum bonorum qualitatem ab iis, qui Sacerdotio inſigniti ſunt, & diſpenſatores ſunt bonorum Dei, latiorem, atque generoſiorem exquirere abalienationem, quam a ceteris mundi conditionibus. Per hunc honoris characterem Deum inexhauſtum bonorum omnium fontem inter jura ſua recenſent: quemadmodum illi ipſi pertinent ad Deum; Deus illorum pars eſt & hereditas, ipſique viciſſim Dei ſunt, ejuſque poſſeſſio. Ita uno ore omnes Sancti Doctores loquuntur. Quod Eccleſiæ theſauros Miniſtri hujuſmodi ſciunt, ſe dumtaxat ſequeſtres eſſe, & ſecundum pias Patrum diſpoſitiones, horum bonorum partem Sacerdotibus, alteram Eccleſiæ ſarciendæ, tertiam in alimenta pauperum eſſe diſtribuendas. Verum ſi Sacerdotes generatim loquendo paupertatis virtutem exercere tenentur, profecto S. Cajetanus hanc eamdem virtutem propoſuit tanquam præcipuum finem inſtitutæ a ſe Congregationis.

S. Cajetanus ſtudiis dat operam ut ſua diſcat officia, antequam fideles erudiat.

Dei Spiritus, qui ſervis ſuis omnes vias indigitat, eoſque per ſe præparat iis miniſteriis, ad quæ illos evocet, S. Cajetano fuit auctor, ut pietati doctrinam conſociaret. Si enim viro, cui ſuimet ipſius ſanctificandi ſola incumbit cura, ſatis eſt ambulare cum ſimplicitate in timore Dei, ejuſque mandata obſervare; longe aliter ſentiendum eſt de illo, qui ad verbi miniſterium vocatus eſt, & cui animarum regimen creditum eſt. Hic non ſolum virtutibus præditus eſſe debet fideles exemplorum ſuorum ſanctitate ædificaturus; verum etiam doctus eſſe debet, atque ſcientia præſtans, ut par ſit aliis regendis, iiſque de ipſorum officiis erudiendis. Hoc S. Cajetanum impulit, ut ſtudiis operam daret, ſua primum ut officia cognoſceret, antequam fidelibus edocendis, & animarum ſaluti procurandæ manum admoveret.

S. Cajetanus proſpicies magna magnorum ſtatuum pericula ſe divinæ tradit providentiæ.

S. Jacobus Apoſtolus nos monet, ut primos timeamus recubitus; ne feſtinemur fieri aliorum magiſtros, ſciens alioquin in nos ſeveriori Judicio eſſe animadvertendum. Quid igitur dicendum eſt de illis, qui magnos ambiunt honores? Nonne potius deploranda eſt cæcitas eorum, quam ſorti illorum ſit invidendum? Non ideo tamen dixerim, eos omnes, qui auctoritatem conſecuti ſunt, condemnabiles eſſe; plorandi quidem ſunt, damnandi vero non item. Neceſſe, ut & primi recubitus impleantur, ut & noviſſimi; ſed a Deo vocandi ſumus; atque nullum nobis imminet periculum cum vocamur, hoc enim non ex ambitu noſtro, ſed a Dei vocatione proficiſcitur. Licet magna ſint pericula, Dei tamen gratia major eſt; hac autem bene uti, noſtrum eſt. Sed vere eſt omni carere ſenſu, ſibi negotium faceſſere, ad primos honores omni niſu contendere. Si magnis honoribus dignus es, & alii te prætereant, beatum te puta, ac Deo gratias age. Quod ſi ad illos extolleris, cave; ne ceſſes timere, ac dignitatem tuam habeto, non tanquam aliquid præclarum, atque pretioſum, ſed tanquam pondus oneroſiſſimum, propter quod jugiter tibi a Deo petendæ ſint vires, ne deficias. Propone tibi S. Cajetani exemplum, qui cum in Aula Romana ſatis inſignem honoris gradum attigiſſet, ut ſe ad majora ſperare poſſet perventurum, maluit ſpem omnem abjicere, abunde cognoſcens quam crebris periculis ſeptæ ſint magnæ dignitates; atque tam modico in diſcrimine habuit omnes honores, vitamque ipſam, ut decreverit uſque ad dierum ſuorum finem in perfectiſſima rerum omnium nuditate vivere traditus amabilibus curis divinæ Providentiæ. *Auctor recens*.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Aſceticis, nuperiſque Concionatoribus loci hujus argumenti.

S. Cajetanus ab infantia præclara præbuit ſuæ ſãctitatis indicia.

SI ex pueritiæ ſtudiis cognoſcitur, quem progreſſum homo facturus eſt, quemadmodum Sapiens teſtatur; Religio, modeſtia, ſapientia S. Cajetano ingenitæ videbantur. Prima illius verba fuerunt nomen Jeſu, quoniam ejus amorem gerebat in corde. Mater, quæ illum adhuc rubentem ab utero Deo obtulit, innocenti huic victimæ promerita eſt primitias gratiarum Domini: *A matre Deiparæ Virgini oblatus eſt*. (*Prov. 10. In Sancti Officio.*) Hæc illum intuebatur in gratia creſcentem, qui nihil unquam fecit, quod excuſandum eſſet propter ætatis infirmitatem. Omnia in illo erant matura, ſpiritus, & judicium. Angelicus pudor in illius facie emicabat, teſtis pudoris illius, qui nitebat in corde, ita ut ex oris habitu, ex operum ratione, ex precum aſſiduitate judicium ab omnibus ferretur, in eo ſpiritum efformari iis rebus parem, quæ mox ab ipſo fieri viſæ ſunt; rogare leges, Clerum reformare, effuſam ubique licentiam, ac iniquitatem compeſcere, Juriſdictionibus limites præſcribere, & ubique juſtitiam, ac diſciplinam reſtituere. Hæc ſunt ſpecimina, quæ de ſe præbuit Sanctus hic puer, ubi primum ad rationis uſum pervenit. *Auctor recens*.

S. Cajetanus pietatis parentũ ſuorum heres.

Vitam, atque optimam inſtitutionem a parentibus obtinuiſſe, qui virtute præſtent, nonne eximium eſt virtutis filiorum præjudicium? Nonne ab arbore optima merito fructus expetitur optimus? Et ſicut filii paternorum bonorum heredes ſunt, nonne ſunt virtutum etiam heredes? bona illorum ſtudia jure quodam juſtitiæ atque hereditatis migrant ad filios. Apoſtolus vertit laudi Timotheo aviæ, matriſque illius pietatem ac fidem; nobis autem non liceat S. Cajetani meritis adſcribere, quod eos parentes nactus fuerit, qui non ſecus ac illi Joannis Baptiſtæ in Dei viis ambulabant caſte, integreque; ex quo ſperandum eſt fore ut arboris bonitatem fructus exæquet. Sancti noſtri genitrix, non ſecus ac Anna Samuelem ſuum filium offert Domino, ut toto vitæ ſuæ curriculo famuletur: *Commodavi eum Domino omnibus diebus vitæ ſuæ*. (*1. Reg. 1.*) Quam felix conjugium eſt, cum Deo ſacrata ſunt corda; cum omnia ſancta ſunt propter bonorum contemptum, legis fidelem obſervantiam, & gloriæ Dei zelum! *Senſim a matre oblatus eſt Deiparæ Virgini*; (*In Officio Sancti. Ad Tim. 2.*) & cum filii in ſpem erigunt omnes per eam pietatem, quæ in parentum integritate renident! *Recordationem accipiens ejus fidei, quæ eſt in te non ficta, quæ habitavit primum in avia tua Laide. Idem*.

Quamprimum ex puerilibus S. Cajetani ſtudiis cognitum eſt, quod Dominus ab ipſis uſque incunabulis illum ſuaviſſimis prævenerat benedictionibus. Nunquam fortaſſe viſum fuit mitius ingenium, os modeſtius, ſpiritus perſpicacior, atque docilior, cor purius, & rectius. Puer licet adhuc, jam indigitabat Deum unicum eſſe deſideriorum ſuorum objectum. Parvula devotionis exercitia etiam ſuper ætatem ſola fuerunt infantiæ ipſius oblectamenta. Maxima illius voluptas erat in penetrali ſuo ſacras, quæ fieri in Eccleſia conſpexerat, imitari cæremonias. Ejus perfecta obedientia & obſequium voluntati parentum, ac illius, cujus curæ ejus pueritia fuerat commendata, efficiebant, ut univerſæ Vicentinæ adoleſcentiæ proponeretur exemplum; & morum integritas, tenera devotio, & caritas in pauperes ea in ætate, quæ non admodum alienis afficitur calamitatibus, in cauſſa fuerunt, ut vulgo Sanctus appellaretur. Et profecto ex adeo felicibus initiis nonne ſperandum erat, fore ut aliquando in hoc puero videretur Sanctus Religioſus, vigilans Sacerdos, actuoſus, ab omni cupiditate alienus, quærens Deum modo quidem in caritatis negotio, modo vero in otio contemplationis? Intuentibus ſuaves, atque pias hujus adoleſcentuli affectiones nonne ſperandum erat, ſe viſuros, ubi per ætatem liceret, zelotem ſacrorum altarium miniſtrum, miſericordem, ſibi ſemper conſtantem, Sacerdotem denique, qui per diligentiam ſuam in procuranda, quoad per ipſum fieri poſſet, gloria Dei & Eccleſiæ, aliquando futurus erat Eccleſiaſticis tum Sæcularibus, tum Regularibus virtutum omnium exemplar? *Auctor recens*.

Dei de Sancto Cajetano conſiliũ erat Eccleſiaſtici ſtatus reformatio.

Recens Samuel noſter palam creſcebat ætate, atque ſapientia; & dicere poſſumus nullum ab eo relictum fuiſſe vacuum temporis ſpatium in vita ſua, quod ad Dei gloriam conſecratum non eſſet. Illi, quibus Providentia ejus adoleſcentiam crediderat, diluculo infuderunt illi ſpiritum Ordinis, & diſciplinæ. Ille vero in Clericatus officiis exercebatur antequam characterem obtinuiſſet. Parvula parare altaria, parvula ædificare ſacella, paternam domum in Templum, domeſticamque Eccleſiam convertere, hæ illius erant deliciæ. Ubique certum tabularum Ordinem diſpoſuerat, quæ illi exhibebant vel vitæ, ac paſſionis Domini myſteria, vel Sanctorum Martyrum cruciatus, atque triumphos. Præſentia oculis ſuis ſemper hæc optabat myſteria, quæ erant & menti. Pietatis exercitia, quæ alioquin conſtituere videbantur objectum præcipuum curarum ipſius, nullum poſuerunt obicem progreſſibus admirabilibus, quos ex humanarum litterarum ſtudiis referebat. Brevi ſcitus evaſit Philoſophus, & eximius Theologus. Eodem plauſu, Patavii juris utriuſque lauream adeptus eſt, ibique clareſcere incepit inter probatiſſimos Juris Conſultos & Caſuiſtas. Verum ſi pietatis officia progreſſus illius in ſtudiis minime retardabant, ejus in ſtudiis ſolertia pietati non obfuit. Illius erga Deum amor creſcebat in dies, atque devotio erga Deiparam novis affectus fervoriſque incrementis augebatur; cumque non condiſcipuli ſolum, verum etiam civitas tota ob oculos haberent in Cajetano tanta pietatis exempla; ita ſuſceptum vitæ curſum immutaverunt, ut affirmare poſſimus, ſanctum hunc adoleſcentem deſtinatum a Deo ad Eccleſiaſtici ſtatus Reformationem, primum ediſiſſe ſpecimen ea in urbe, quæ ſtudiorum ejus nutrix extitit, & quæ illecta pietatis ejuſdem exemplis, reliquit prorſus ea flagitia, quibus ſeſe abdiderat. *P. Croiſet in Aſceticis, & ex Sancti vita*.

Magna vitia quæ in Sanctuariũ obrepſerãt.

Antequam videamus quo pacto Sanctus noſter operam dederit reformandis flagitiis Status Eccleſiaſtici, operæ pretium eſt ſcire, quænam tunc inoleverant. Inter abuſus, qui in Sancto loco percrebuerant, magnus erat tepor caritatis, magnuſque bonorum peritorum amor; caritas enim, qui probatiſſimus Sacerdotii character eſt, elanguerat, & friguerat, ceſſeratque locum inordinatæ divitiarum cupiditati. Paſtores inertes, ac in damnabili mollitie oſcitantes non laborabant, utrum oves ſuæ errarent, ac diſperderentur, dummodo earum exuvias referrent; & inexplebilis hæc divitiarum adquirendarum aviditas, & libido fruendi omnibus vitæ commodis efficiebant, ut J. C. gloriam obliviſcerentur. Quem prætextum, quod immo argumentum non præbebat hæreticis, & æquo licentioribus hominibus hæc vitæ ratio, ut de æterna duratione Eccleſiæ dubitarent, videntes, Miniſtros ipſos, qui firmiſſima illius eſſe debebant præſidia, operibus ſuis, praviſque exemplis oſtendere quod ipſi etiam de omnibus rebus dubitarent! Sed Deus fidelis in promiſſionibus ſuis, ut tot mederetur malis S. Cajetanum ſuſcitavit, qui eſſet velut murus aheneus contra errorem, & corruptionem, replevit virum hunc vere Apoſtolicum omnibus donis neceſſariis, ut adverſaretur tot exundantibus vitiis, & ut de medio Iſrael anathema convelleret. *Vita Sancti.*

Nonne Salomon docet, voluptatem, præſumptionem, imprudentiam, & cæcitatem unum idemque fere eſſe cum adoleſcentia? Et David nonne ait, adoleſcentes ab utero matrum aberrare in vias iniquitatis; ſibi artem peccandi comparare; & vix rationis uſum attingere, cum dedecorant illam? Cereos eſſe in omnia vitiorum genera, oſores corripientium, conſiliis excipiendis quidem ineptos, dandis vero ineptiores? Pravum exemplum cum pravis eorum affectionibus conjunctum inſtar eſſe duplicis torrentis, quo eminus abripiuntur? *Erraverunt ab utero, locuti ſunt falſa.* Deo gratiæ habeantur! Cajetanus adoleſcens horret ſæculi, ætatiſque ſuæ flagitia. Intelligit pœnitentiam, atque orationem nunquam magis eſſe neceſſarias, quam cum cupiditates irrumpere, ac prodire inceperunt; ſalutis opus propemodum perfectum eſſe, cum illarum curſus præverti poteſt, eiſque aptius objectum ad ſanctificationem ipſarum præberi. Convertit igitur cor ſuum ad Deum, tanquam in unicum objectum ſummopere amabile. Illum toto pectore dilexit, ita ut nihil præter illum amaverit. Pœnitentia, & oratio duo erant illius propugnacula. Priore carnis retundebat inſolentiam, quæ fertur verſus objecta ſenſibilia, & quæ tendit ad corruptionem; poſteriore vero ſupra creata ſe attollebat, & tanquam aquila in cælo, non autem in terra conſueſcebat. Ex his initiis tantam orandi conſuetudinem adeptus eſt, ut orando recenti ſemper cum voluptate horas paſſim octo impenderet: *Orationem ad octo paſſim horas protrahebat.* (*In Officio Sancti.*) *Sermo Manuſcriptus.*

Diſpoſitiones quas S. Cajetanus attulit ad aſſequenda de ipſo divina conſilia in Cleri reformatione.

S. Cajetanus oriens ſecum attulit ſpiritum miniſterii ſui. Altaribus deſtinatus erat, ejuſque miſſio aliquando futura erat priſtinum ſtatus Eccleſiaſtici decus reparare. Nullæ virtutes illum melius auguſto huic muneri obeundo præparare poterant, quam illæ, quæ in eodem ab ipſis pueritiæ ſuæ primordiis elucebant. Aſſidua ejus in Eccleſia permanſio, perſeverantia in oratione, ſolitudinis amor, omnes hæ virtutes adeo erant cognitæ, ut ex eo ipſo tempore tanquam bonorum exemplum, improborum autem terror haberetur. Auctores quidam illi æquales ſcripſerunt, illum tanta in benedictione fuiſſe, ut quiſque illum pium, ac ſpiritualem appellaret, & melius Sancti, quam Cajetani Thienæi nomine fuiſſe cognitum. Verum cum ſola pietas non ſemper ſufficiat in omnibus ſtatibus, ad quos Deus evocat ſervos ſuos; S. Cajetanus maxima cura humanis, diviniſque ſcientiis operam dedit; perinde ac illi exploratus, compertuſque fuiſſet locus ille, quem erat in Eccleſia habiturus. Qui ſunt divinorum arcanorum ſequeſtres, atque ad Verbi vocantur miniſterium, regimenque animarum, ex Sancti hujus noſtri exemplo percipere debent, ſicuti pietas in nobis ſcientiam expiare debet, ita & ſcientiam viciſſim facem præferre oportere pietati; doctrinam ſacri miniſterii non ornatum eſſe dumtaxat, ſed & officium; ac tandem ut ſanum de rebus feratur judicium, inter inertem rudemque Sacerdotem, & Sacerdotem indignum, vix ullum eſſe intervallum. *Ex Sancti vita.*

Cajetanus Romã proficiſcitur. Bonũ quod ibi operatur.

Secundum initum a Deo conſilium, utendi videlicet S. Cajetani opera ad Eccleſiaſticam diſciplinam inſtaurandam, & evellendos abuſus ſuperioris hujus Ordinis, a quo pendet ſalus animarum, divinitus injecta fuit homini cogitatio, Romam adeundi, ut teſtis fieret oculatus malorum, quæ in ſacrum miniſterium obrepere poterant. Et vix illuc acceſſit, cum nominis ejus celebritas perlata fuit ad aures Summi Pontificis Julii II. Pontifex hic callidiſſimus meritorum æſtimator, in S. Cajetano nactus eſt, quidquid de eodem fama evulgaverat: & in æſtimationis argumentum detulit illi quamdam inter Prælatos dignitatem, qua nihil majus, ac præſtantius eſt, quam Epiſcopatus, & purpura Cardinalium. Sanctus Vir tamen in aula vixit, quin aulæ labe aliqua inficeretur. Abuſus, quos tunc propriis uſurpavit oculis, vitia adeo communia omnibus ferme illis, qui in adeo periculoſo loco vivunt; mors Julii II. ac exiſtimatio, quam ſucceſſor ejus de homine conceperat, hæc omnia illi recedendi animum injecerunt, non credenti tuto in Summorum Principum Aula vitam duci poſſe, ubi omnia virtuti nuncium miſiſſe videntur; cumque optaret ſeſe ſacris Ordinibus præparare, exceſſit ex loco, qui apud ipſum ſuſpicione minime vacabat; & rationes, propter quas homines vani atque ambitioſi illum perquirunt; Cajetanum impulerunt, ut ocyus inde fugam capeſſeret. *Ex vita Sancti.*

Humilitas ejus nõ patitur, ut Sacerdotio initietur.

Dubitandum non eſt, quominus Aula Romana gravem jacturam paſſa fuerit recedente hoc Dei famulo; ſed ille hactenus ſemetipſum reſpexerat tanquam privatum, cui ſuæ tantum ſanctitati eſſet invigilandum. Præterea, ut fieret aliquando pro reformandis noxis, quæ in Eccleſiaſticum ſtatum obreperant, opus erat, ut procul a mundi conſuetudine per orationem, ſuimet collectionem, Sacrarumque Scripturarum meditationem ſe ſe præparet. Videbatur Eccleſiæ in S. Cajetano ad Ordines promovendo a conſueta diſciplina recedendum non eſſe; & exigendum, ut ab illo ſervarentur interſtitia per Canones conſtituta: hæc quoque S. Cajetani erat ſententia; ſi enim animum advertimus ad ea, quæ ipſe ſcribebat cuidam inſigni pietate Viro, videtur noluiſſe adeo feſtinanter in ſtatum adeo ſublimem ſe injicere. Hæc illius verba ſunt: Mihimet videbar interdicere debere divini Sacrificii celebrationem ex ſenſu indignitatis meæ. Quid? ſingulisne diebus recipiam intus mihi dicentem: diſce a me, quia mitis ſum, & humilis corde, cum præ vanitate intumeſcam? Ego tenebræ ſum, & eum, qui lux eſt mundi, recipiam? Quid? attingere auſim hunc Deum amoris, cum ſim glacies? auſim comedere creatorem meum, cum ſim pulvis & cinis?

Sed cognita rei utilitate invitus Sacerdos cõſecratur.

Non obſuit tamen S. Cajetani humilitas, quominus Eccleſia crediderit ſapientem eſſe diſpenſationem communes regulas præterire in Sancti hujus gratiam, cujus probatiſſimæ virtutes, ac recens ſemper fervor eſſe debebant loco exercitiorum ſpiritualium, quæ alii ferme omnes ſubire jubentur. Prævidit enim quantæ ædificationis futurus eſſet Sacerdos adeo Sanctus, eo præſertim tempore, quo vix aliquod ſupererat antiquæ diſciplinæ veſtigium. Noſter igitur Sanctus in Sacerdotem inunctus fuit, licet ejus obluctaretur humilitas; & deinceps videbimus, proculdubio majori cum Dei gloria, & fidelium utilitate contigiſſe, ſi e re cenſuit Eccleſia in hac ordinatione minime adhærere ei rigori, quem Sacri Canones exigunt. *Ex vita Sancti.*

Cajetanus divino afflatus lumine curas omnes in Cleri reformatione impẽdit.

Cajetanus recenti igne ſe ſuccenſum agnoſcens novi ſtatus celſitudine, divinitus afflatus ad Cleri reformationem manus admovere cœpit. Sed ad populos revocandos, initium ducendum eſſe cenſuit a capite, rite judicans, ubi caput convaluiſſet, futurum ut brevi corpus totum optima valetudine perfrueretur. Nihil igitur miſſum fecit hic Sanctus, quod eſſet in illo, ut eos reformaret, qui in Eccleſia pollebant auctoritate, ut illos de ſtatus ipſorum officiis erudiret per divini verbi prædicationem, ad vivum illis exhibens, quo pacto muneribus ſuis perfungerentur. Quanam vi illi oſtendit, in Eccleſiam ingrediendum eſſe vocatione divina, non ratione humana, neque ulla lucri, aut honorum cupiditate? Sacerdotium nomen eſſe non otii, ſed maximi negotii, miniſterium arduum, ac laboribus plenum, in quo omnes adhibendæ erant curæ ad Evangelii dilatationem, & ſanctificationem Fidelium. Quo zelo non aperuit illis neceſſitatem conciliandi cultum, & obſequium dignitati ſuæ, non quidem importuna ſuperbia neſcientibus ſuam a Dei gloria ſecernere, ſed humilitate non ficta, conſtantia digna ſtatu ſuo, verumtamen cum ſuavi quadam indulgentia erga neceſſitates animarum ſimplicium atque rectarum? Quid non dixit probaturus, illis quidem primum obſervandam eſſe dignitatem in ſemetipſis, ut deinde a populis jure magis colerentur? Et fruſtra illos operam navaturos in ovibus Deo conciliandis, niſi illi cum Deo in gratiam rediiſſent, & ſi facti Sacerdotes Dei viventis, ſimul etiam non fierent & victimæ? *Auctor recens.*

Ut hoc facilius conſequeretur inſtituit Cõgregationẽ Clericorum Regularii.

Apoſtolicus iſte Vir, cui compertum erat, adverſa omnia, quæ Eccleſiæ ingruebant, a bona, vel prava Cleri affectione proficiſci, conatus eſt per Sancta Novæ Congregationis exempla primorum Eccleſiæ temporum diſciplinam reſtaurare. Hanc ob cauſſam ſocium ſe adjunxit Petro Caraffæ, qui ex Epiſcopo Theatino, licet invitus ad Romanam purpuram, & mox ad Pontificatus apicem evectus fuit, ſub Pauli IV. nomine. Ille etiam ſibi auxiliatores arceſſivit quidquid Doctorum, proborumque virorum erat in Italia, & cum his, qui ex ſæculi contagione evaſerant, collegit, ut ita dicam, Cleri reliquias, ex quibus Diſciplinæ corpus effinxit. Ut igitur magnum hoc opus ſibi melius verteret, una cum Caraffa Ordinem Clericorum Regularium inſtituit, qui cum voce, tum exemplis eſſe poſſent viventes Evangelicæ Legis præcones univerſo Ordini Eccleſiaſtico; qui pio, ſanctoque vivendi genere in mentem revocarent iis, qui ſacri impliciti eſſent Myſteriis, curam ab illis gerendam ſalutis animarum, ipſis creditarum; qui per Diſciplinæ amorem, quem in nova hac congregatione deprehenderent, intelligerent, quinam ſint effectus vitæ ſanctæ quocumque bonum J. C. odorem effundentis; qui cum dignitate ſancta pertractantes docerent, quomodo ab aliis etiam eſſent pertractanda; qui denique pietate Clerum ædificantes, illum in hanc mentem pertraherent, ut tandem intelligeret, ſe pro ſtatus ſui dignitate, eſſe oportere ſal terræ, & lumen Mundi, ad Cæleſtem Patrem glorificandum, & ad populos ſanctificandos. Per horum infatigabilium Virorum indefeſſos labores, & per ſapientiſſima Sacri Concilii decreta, quod ſub illis fere temporibus indictum fuit, viſus eſt Eccleſiaſticus ſtatus refloreſcere. Clerus antea obrutus oblivione eorum, quæ ille ſibimet ipſi debebat, & in ignorantia munerum ſuorum, tandem ſe ſe collegit, & animum appu-

appulit ad adquirendas ſcientias, quæ ad populos erudiendos ſunt neceſſariæ. Pietas ejus fuit virtutis exemplum, & doctrina errorem confudit. Non minima felicis hujus metamorphoſeos pars accepta referenda eſt admirabili S. Cajetano Thienæo; quippe unus fuit ex diſciplinæ clericalis reparatoribus. *Ex Sancti vita, & Auctore recenti.*

Quomodo Sanctus hic Vir novam Congregationem inſtituerit.

Quin hoc loco repetam modum, quem ſecutus eſt Sanctus Cajetanus ad recentem Congregationem inſtituendam, dicam ſolum Virum hunc ceteros reformare cupientem initium duxiſſe a ſemet ut ſeſe illis præberet exemplum. Et ſane præclarum fuit, ac perrarum exemplum nobilitati, videre Virum inſignem genere, & honore, quem in Romana aula obtinuerat, in Xenodochio calcare luxum, honores, & ſæculi dignitates, videre illum pauperrima contentum tunica in ægrotantium curam ſudores, vigilias, labores, conſilia, bona, ac totum denique ſe ipſum impendere; illis deſervire majori ſedulitate, quam ſi meruiſset ſtipendia; nunquam illos vel interdiu, vel noctu derelinquere, omnia illis neceſsaria ſuppeditare, ac ſeſe abjectiſſimis, ac moleſtiſſimis chriſtianæ caritatis officiis ſubmittere. Per magna hæc pœnitentiæ, & mortificationis exempla incepit oſtendere illis, qui ſe ſe Sanctuario devoverant, neceſſitatem ducendi vitam ſanctam, ut alios poſsent ſanctificare. *Ex vita Sancti.*

Virtus Sancti Cajetani ab omnibus habetur in pretio. Accendit alios igne Sancti amoris quo æſtuabat.

Illuſtria virtutum omnium exempla, quæ mundo Sanctus Cajetanus tradebat, novum ejus nomini decus addiderunt. Ubicumque de Sancto hoc Sacerdote verba fiebant. Ejus celebritas omnia mortalium genera domum illius adducebat, quæ publicus erat aſylus, non ſolum quidem indigentibus, ſed promiſcue omnibus afflictis. Quilibet in illo ſolatium nanciſcebatur, ac facilia remedia, ut certam animi pacem aſsequerentur. Arduum non erat homini, cujus cor nonniſi Deo vivebat, aliorum corda ſibi, vel Deo potius conciliare, eaque inflammare eodem igne, quo erat incenſus. Itaque divinus hic ignis palam accenſus fuit in omnibus ſtatibus & conditionibus. Summi & imi, divites & pauperes, præſertim vero plurimæ primorum ſubſelliorum matronæ, ſanctos illius ardores expertæ ſunt. *Ex Sancti vita.*

Sancti Viri director, ut amplam ſegetem præberet, miſit illum Venetias, & illinc Romam.

Sancti noſtri caritas immenſa exiguos ſane inter cancellos Vincentiæ continebatur; Debuit Deus ut videtur, aliud illi dignius theatrum præparare. Director ejus, cui perſuaſum erat ipſum longe maximum, Deo juvante, fructum eſse allaturum, miſit illum Venetias, ubi uberrimam zelo ſuo meſſem erat inventurus. Paruit Sanctus, quin ſua conſuleret ſtudia; ſapiens illa, & inſignis Reſpublica, quo jam pervaſerat fama eximiæ Cajetani virtutis, ſumma cum exultatione illum excepit. Ille ſi locum mutavit, non mutavit affectum, neque exercitium. Quodam in Xenodochio locum nactus eſt, de quo perquam optime fuit meritus, propter operam, ibi ægris navatam. Reformatio morum, & omnium fere ibi incolentium converſio fructus extiterunt tam ſanctarum illius adhortationum, quam ſanctorum exemplorum ejuſdem. Tot prodigia Sancti noſtri directorem in eam injecerunt mentem, ut crederet, peculiarem civitatem zelo ejus ſufficere nequaquam poſse; & illum divinitus eſse deſtinatum, ut Eccleſiæ univerſali inſerviret. Romam igitur miſit eum, ubi ille, quemadmodum ſuperius dictum eſt, iniit conſilium inſtituendi Congregationem Clericorum Regularium, ut morum reformationi, præſertim vero in Eccleſiaſticis navaret operam. *Ex eadem vita.*

In aula hac vitia graſſabantur.

Non afferam hic loci flagitia, quæ tunc in Urbe totius orbis Principe graſſabantur. Neceſſe non eſt animadvertere antiquiſſimas Eccleſiæ cæremonias, & Ordines ſanctitate, ac vetuſtate maxime venerabiles evaſiſſe, aliis quidem horroris cauſſam, aliis ludibrii. Procaciores homines cenſoria nota auguſtiſſima perſtringebant myſteria, & qui verecundiſſimi habebantur, ſatis eſſe putabant ſuffragiis ſuis probare cenſuram. Scripturas ſanctas in profanum detorquere ſenſum, ludus erat, neque in urbe illa quiſquam fortaſſe erat, qui, ut elegans, & non inficetus haberetur, non aliquid novi ſe afferre gloriaretur. Deſolatio erat in loco Sancto, & vita populi, quemadmodum quidam Propheta inquit, erat, ut vita Sacerdotum, quorum laxitas ſtatuebat lapides offenſionis ſecus viam infirmorum, impietates ſua auctoritate commendabat, omneſque rapiebat in interitum. *Ex vita Sancti.*

S. Cajetanus omnem adhibet ardorẽ zeli ſui, & roborat Cõgregationem ſuã, ut aliquã afferat medicinam.

Cajetanus, qui ſummo dolore angebatur videns mala, & neceſſitates Eccleſiæ, conſolabatur quidem quodammodo, cum videbat, fervorem ſpiritus in toto fere Orbe Chriſtiano extinctum, rurſus excitari in quibuſdam recentibus Congregationibus tunc temporis inſtitutis; ſed cum minime videret illas ſtabiles, votiſque firmatas; & paucos eſſe viros, quorum numerus par non erat, ut publicis vitiis, flagitiiſque objiceretur, ævo illo late graſſantibus, & inde Eccleſiam non ſatis amplum percipere poſſe ſubſidium; Prælatos vero propriis implicitos negotiis, & publicis oneribus prægravatos præſentibus malis medicinam afferre non poſſe; ſcite judicavit ſub ſtata, atque irrevocabili regula ampliorem operariorum Evangelicorum numerum eſſe colligendum, qui ex inſtituto populos in viam ſalutis, ac pietatis revocare tenerentur. Socios igitur aſſumpſit alios duos integerrimæ probitatis Sacerdotes, ut huic operi manum admoveret, ſimulque ſtatuerunt certam regulam ſequi, & nuncupare vota, per quæ immutabiliter adhærerent huic operi, quod moliti fuerant. *Ex Sancti vita.*

Obtinent a Põtifice Inſtituti ſui approbationẽ & emittunt vota.

Sanctus igitur Cajetanus, cum Joanne Petro Caraffa Epiſcopo Theatino, aliiſque Sanctis Presbyteris ſocietatem iniere ob inſtituendum Ordinem Clericorum Regularium juxta vitæ Apoſtolicæ exemplar. Magnum erat opus, & arduum; ſed freti rectitudine conſiliorum ſuorum confugerunt ad Summum Pont. Clem. VII. præſidium illius obſecraturi, & impetraturi facultatem beneficia ſibi jam collata dimittendi. Pontifex ægre aſſenſus eſt Caraffæ Epiſcopatum dimittenti; & Cardinales ægrius probarunt Inſtitutum, quod nullos admittebat fundos, aut reditus: ſed Caraffa & Cajetanus in eo Purpuratorum cœtu luculenter oſtenderunt hujus vivendi rationis conformitatem cum vita Apoſtolorum, primorumque Salvatoris Diſcipulorum, ut tandem, quod adnitebantur, impetraverint. Votis igitur nuncupatis in omnibus, & per omnia providentiæ nutibus ſemet ſubjecere, ſine ulla exceptione, vel reſtrictione. Quo facto in Superiorem ſibi delegerunt Joannem Petrum Caraffa, quem Summus Pontifex juſſit retinere Theatini Epiſcopi titulum, ex cujus nomine Clerici Regulares Theatini appellati ſunt. *Croiſet in Aſceticis.*

Affectiones quas ad hoc miniſterium attulit Cajetanus: & primum de illius zelo.

Quoties S. Cajetanus eodem zelo animatus, quo Jeſus Chriſtus de Templo ejecit eos, a quibus polluebatur in latronum ſpeluncam, & negotiationis domum Sanctuarium convertentibus? Quoties zeli ſui ignem ſuccendit in illos, qui cupiditatum ſuarum igne correpti audebant ſe aris offerre, & adferre coram Deo ignem alienum, & Pſeudoprophetarum? Zelus hic effectus erat promotionis ejus ad Sacerdotium, & vocationis ſuæ ad ſacrum miniſterium. Si ſalutaribus utitur redargutionibus, id accidit poſtquam omnes caritatis artes exhauſit. Quot ille effuderat lacrimas, ut mulceret iram Dei contra flagitia irritati, quæ vulgo in omnibus conditionibus, vitæque ſtatibus graſſabantur? Quot ille noctes traduxerat ſetis horrenti ſubucula, & cilicio tectus ſe in peccatorum locum conſtituens, ac pro illis offerens ſe Deo tanquam victimam, & exſolvens pœnas ab illis exſolvendas? Quoties alienæ avaritiæ ſuam oppoſuit liberalitatem, furori moderationem, flagitiis, aſſiduiſque libidinibus puritatem? Verum quid non patitur, qui zelo gloriæ Dei, & ſalutis fratrum ſuorum ſuccenſus eſt? cum rectus ordo, ac diſciplina diligitur, cum Eccleſiæ decus, & fidelium quæritur ædificatio! Nonne nullus non moveretur lapis ad revocandam in priſtinum nitorem Eccleſiæ diſciplinam? Nonne ea omnia, quæ nobis cariſſima ſunt, vita ipſa poſteriora haberentur, ut prima Chriſtianæ religionis tempora videremus? *Ecclebaſticam Diſciplinam collapſam, ad formam Apoſtolicæ vitæ inſtaurare deſiderans.* (*In Officio Sancti.*) *Sermo Manuſcriptus.*

Inſignis paupertatis amor. Omnia ſua diſtrahit bona, ut pauperes alat.

Cum Sancto Cajetano perſuaſum eſſet, omnia mundi mala a divitiis originem ducere, opibus ſuis ſibi comparabat amicos, qui aliquando illum in æterna tabernacula poſſent recipere. Cogitabat Salvatorem paupertatem amplexum fuiſſe, ut ſtatum hunc honore afficeret; & Eccleſiam illius ortum duxiſſe in paupertate; quandoquidem illius Principibus non aurum erat, neque argentum, & pauperes erant vel piſcatores, vel ſcenofactoriæ artis profeſſores. Hæ veritates in corde illius tanquam in terra optime præparata uberrimum fructum attulerunt. Convertit divitias injuſtas, quippe ſunt injuſtitiæ irritamenta, in caritatis materiam. Xenodochia illius ære, ac patrimonio ædificata, æterna erunt monumenta miſericordiæ ipſius erga pauperes, fideique in Jeſum Chriſtum, quem ſecundum verbum illius, reſpiciebat ſub triſtibus egeſtatis integumentis, quibus pauperes tecti ſunt; necnon publica lectio uſque ad finem ſæculorum uſus illius, in quem impendendum eſt & ſuperfluum, & aliquando etiam neceſſarium. Sancto huic Viro perſuaſum erat præſtantiſſimum ſapientiæ ſpecimen eſſe, æterna efficere, quæ fluxa & peritura ſunt; veram ad id viam eſſe illa in Salvatoris manum per manus pauperum traducere: Quam prudentiſſimam œconomiam ille nos docuit in Evangelio, cum inquit: *Negotiamini, dum venio? Recens Auctor.*

Suis ipſe manibus in Noſocomiis tabe laborantibus deſervit.

Numquid vobis exhibeam iſtic Cajetanum coram pauperibus proſtratum, quia in eorum perſona Jeſum Chriſtum venerabatur? Dicamne ipſum illis in eorum neceſſitatibus famulatum fuiſſe, eoſque in malis fuiſſe conſolatum? eorum attrectaſſe vulnera tabo manantia, ac ad humillima quæque caritatis, & miſericordiæ Chriſtianæ miniſteria deſcendiſſe? Eo ſi fuiſſemus ipſi in loco, quid egiſſemus? cauſſati fuiſſemus infirmitatem, atque conſtitutionis noſtræ imbecillitatem. Sed Cajetanus nec carnem conſulit, nec ſanguinem; omnia pauperum pedibus ſubjicit. Bona valetudo, & celſitudo utiles, ex Sancti noſtri ſententia non ſunt, niſi ut inde fiant ſacrificia. Videtiſne illum graſsante lue deſervientem hoc laborantibus morbo? Expaveſcit ne lethiferos halitus, qui mortem afflant iis, qui ægris id genus famulantur? Hanc ſæcularium mollitiem exhorrens, offert ſe Deo tanquam holocauſtum, & recordatus Chriſti Jeſu, qui ſe tradidit pro nobis, poſtulat fieri Martyrem caritatis, quandoquidem fidei Martyrem eſse non datur: *Etiam morbo peſtilenti laborantibus, ſuis ipſe manibus inſerviebat.* (*In Officio Sancti.*) Numquid vobis deſcribam eum quacumque tranſit, relinquentem ſuæ miſerationis veſtigia, juxta exemplum Filii Dei, cujus ſinguli greſsus totidem beneficiis, & curationibus connotabantur? His tribuit, unde annorum ſterilitati ſupplere valeant; illis unde afflictæ fortunæ ſarciant detrimenta; & de omnibus indiſcriminatim per quam bene meretur: *Pertranſiit benefaciendo.* (*Act.* 10.) *Auctor recens.*

Aſſiduus eſt

Oratio, quæ eſt conſuetum Fidelium officium, multo magis eſt Mi-

in precibus ut pium ejus mun[illegible] vertat.

eſt Miniſtrorum Domini negotium. Cum non ſint amplius de hoc mundo, tanto magis Deo vacare debent. Quamobrem illos admonet Paulus, ne Jeſu Chriſti merentes ſtipendia ſæcularibus ſe implicent negotiis, ſi velint placere ei, cui ſe ſe devoverunt. Cum non ſint amplius in terram devexi, ut ſibi victum procurantes laboribus manuum, ideoque immunes ſint a pœna Adæ ejuſque poſteritati inflicta, majores illis Deo agendæ ſunt gratiæ. Impenſius diliguntur a Deo; impenſius igitur ex grati animi officio Deum debent diligere. S. Cajetanus hoc intellexit debitum, eoque perfunctus eſt non tanquam munere, & officio: *Juſto enim lex non eſt poſita*, ſed tanquam illecebra cordis ſui, tanquam maximo beneficio, quo affici poſſit famulus ab hero ſuo, tanquam actione divina, & gratiis Domini affluenti. Fingite ergo vobis corpus Sancti Sacerdotis hujus jejuniis, & jugibus auſteritatibus attritum, per pœnitentiam conſecratum, & quod amiſerat quodammodo quidquid habebat de ſuo, ut Spiritus motum ſequeretur: ſemper ad cæleſtia elatum, ſemper in Deo intentum. Utraque ſuimet ipſius parte orabat, anima quidem per ſenſuum elevationem, per cogitationes de Deo occupatas; corde vero per lacrimas, gemitus jugeſque preces, quas pro ſalute proximi effundebat. *Sermo MS.*

Habebat Cajetanus donum lacrimarum.

Verſamur in lacrimarum valle, gemituſque noſtri finem habituri non ſunt, niſi per mortem, quæ nos inducet in patriam. Expectata, & optata, ſed dilata nobis felicitas, nonne ex oculis noſtris lacrimas debet elicere? Quis ex nobis eſt, cui non ſit ille ſpiritus adoptionis, propter quem clamemus ad Deum, tanquam patrem noſtrum? Quis eſt, qui cum David non dicat: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt: habitavi cum habitantibus Cedar, multum incola eſt anima mea.* Abrenuntiaverit, opus eſt, cæleſti hereditati, qui terram hanc inſpicit tanquam patriam, & non ingemiſcit. S. Cajetanus oculos ſuos in duos converterat fontes lacrimarum jugiter manantium: *Orationem ad octo paſſim horas jugibus lacrimis protrahebat.* (*In Sancti Offici 5.*) Sedi hic, ajebat ille, ſecus flumina Babylonis, cujus aquæ ſunt imago inconſtantiæ, inaniumque gaudiorum, quæ ibi guſtantur; ſed identidem Sancti Montis Sion reminiſcor, & hæc recordatio ex oculis meis lacrimas elicit. *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & flevimus dum recordaremur tui, Sion. Cor meum, & caro mea,* dicebat, *exultaverunt in Deum vivum*: impatienter expectans donec mihi ſeſe prodat vivens Deus: oculi mei ardenter cupiunt in faciem ejus proſpicere, & ad mortem uſque illum conquiram. Sperare jubeor, me illum viſurum eſse: certus ſio, me tandem in illius domum eſse ingreſſurum, & felicia hæc monita me cumulant lætitia, ſed cum ſancta impatientia expectans hoc deliciarum torrente frui, requiem non permittam cordi meo, neque inducias oculis meis; & perennes lacrimæ erunt pars mea in hoc miſerrimo exſilio. *Auctor recens.*

Mortificationes, & auſteritates S. Cajetani.

Pœnitentia nata eſt cum Chriſtianiſmo: ex vulneribus Salvatoris patientis chriſtiana prodit Religio, non autem ex gloria ejuſdem in Tabor. Primum Baptiſmi votum eſt, crucem ferre; Nonne hoc nos docuit Salvator prædicans, & pœnitentiam exercens? Nonne dixit, a diebus Joannis Baptiſtæ uſque in præſens, regnum Cælorum vim pati? Hæ veritates altius erant inſculptæ in Sancti Cajetani corde; ſecundum præclara Jeſu Chriſti exempla ab extrema pueritia amplexus eſt pœnitentiam totoque vitæ ſuæ curriculo particeps eſse voluit calicis Domini. Setis horrentes ſubuculæ, cilicia, flagella, illius erant deliciæ; his ſuam alebat pietatem, noctesque, inquiunt vitæ ejuſdem hiſtorici, integras in afflictatione corporis ſui traducebat. Denique pœnitentiæ ſpiritus, quo animabatur, erat illi lex mortis. Hinc ſecundum regulas, piamque praxim Sancti Inſtitutoris ſui Clerici Regulares Ordinis ejuſdem præter pœnitentias ab Eccleſia præſcriptas, jejunant adhuc toto Adventus tempore, ſingulis ſextis feriis, quolibet Feſtorum Sanctæ Virginis, & Apoſtolorum pervigilio, & a carnibus abſtinent qualibet feria quarta, ad hac in re primævæ Eccleſiæ mores imitandos. Quod ſi S. Cajetanus vitam duxit longe auſteriorem, quam ipſius Regula præſcribat; quandoquidem ut plurimum arcto pane, & aqua brevi, ad ſummum vero leguminibus, aut oleribus victitabat; inde factum eſt, quia credidit Patri ad indigitandam filiis virtutis viam, ducendam eſſe vitam præ ceteris mortificatiorem.

Perſecutiones, & vitæ pericula, quæ ſubiit in Romæ direptione.

Opus non eſt, ut hic vobis deſcribam cædes, ſcelera & ſacrilegia, patrata per Cæſaris milites in direptione Urbis Terrarum Principis vi expugnatæ. Temporis illius hiſtorici fuſius illa deſcripſerunt; ita ut nemo unus illa ignoret, & ſatis liquet, quibus malis ſit par, miles furens, & exlex. Meum eſſe puto ea tantum referre, quæ ad Sanctum Cajetanum, alioſque decem, vel duodecim ſocios ejus pertinent. Quos fructus non tulit tunc Sancti Hominis caritas! Ad hoſtem ſe confert cum ſuis; & hæc agnorum manus non timuit ſemet luporum furori objicere, ac opem ferre civibus, qui ubique ferro interimebantur. Intellexit tamen, duodecim religioſos homines operam ludere, nihilque proficere poſſe, ut rabiem hoſtium igni ferroque omnia vaſtantium deliniret, quapropter iniit conſilium ſemet cum ſuis in ſolitudinem recipiendi. Hinc facilis eſt conjectura, quonam dolore Sanctus, cum familia tota conficeretur. Periculum erat ne, in receſſu ſuo omnes fame interirent; pii quippe viri, a quibus alebantur, vel fugiebant, vel in captivitatem abducebantur, vel necabantur. Obtulit igitur ſemetipſum in holocauſtum Deo, eique ferventia nuncupavit vota pro infelicis illius populi incolumitate. Sed permiſit Deus, ut pius neſcio quis graviſſimis ſeſe objiciens periculis illos aluerit, ſed ceſſante fame, rurſus recentibus calamitatibus premerentur. Miles quidam olim Cajetani domeſticus, certior factus, ubi Dei ſervus incoleret, quem ſatis opulentum arbitrabatur, cogitans ſe inde locupletiſſimam prædam ablaturum, ſecum adduxit militum manum æque avidorum, qui furentes Cajetani domum ingreſſi ſunt. Religioſorum paupertas primum illos deterruit; ſed ſpes abditum aliquem inveniendi theſaurum illos vi abſtinere paſſa non eſt, & miles, qui antea Sancto famulatus fuerat, illum hortabatur, ut ſine temporis jactura ultro ſignificaret, ubinam lateret argentum; compertum quippe, omnibuſque exploratum erat, familiam illam divitiis affluere. Huic quin obſtupeſceret, Cajetanus reſpondit, deſiderio ſequendi Jeſum Chriſtum pauperem, ſe quoque pauperem factum, omnia reliquiſſe bona; & ſi fidem non haberet dictis, poſſe illum diligentius domum univerſam ſcrutari. Verba hæc nil moverunt homines, qui omnem prorſus abjecerant humanitatem. Illum inter duos aſſeres elidere conati ſunt: eum umbilico tenus vinctum ſuſpenderunt, denique inauditis crudelitatibus affectum deſeruerunt, videntes ſe tantum inutili cura tempus terere. Recedentibus illis alia armatorum manus irruens in Templum omnia depopulati ſunt. Cajetanum ejuſque ſocios plagis affecerunt, nonnullos etiam ſauciarunt, ac vinctos denique, arctiſſimiſque vinculis conſtrictos obtruderunt in carceres, ex quibus permiſit Deus ut Hiſpani cujuſdam ducis caritate, a quo in carceribus pſalmos canere auditi fuerant, domum dimitterentur, ubi cum nondum eſſent in tuto, non alium ſecum habentes commeatum, quam firmiſſimam in Deo confidentiam, Venetias ſeſe receperunt. *Ex Sancti vita.*

Ejus lenitas in erudiēdis diſcipulis contra incurſus mundi, carnis, & Satanæ.

Quomodo autem Sanctus hic vir diſcipulos ſuos erudiebat? Suaviter, ac patienter docebat illos, in mundo reſiſtere tentationibus, quas ille ſibi abrenuntiantibus ſtruit; fieri ſal terræ, ut a ſæculi corruptione ſemet tuerentur; alios a pravorum exemplorum contagione præſervare, eos a noxiis ſocietatibus amovendo. Sæpe dixit, ſe illos mittere non ſecus Jeſus Chriſtus miſerat Apoſtolos ſuos; quaſi oves inter lupos, ut hos in agnos converterent, ab illis feritatem extorquentes. Dicebat omnia in illis loqui debere, ut ſolus eorum aſpectus vivens eſſet prædicatio; illos profeſſionis ſuæ titulo ſibimet in partem aſſumpſiſſe Jeſum Chriſtum; ad ejus exemplum ipſis exercendam eſſe paupertatem, quæ, illius pretium agnoſcentibus erat bonorum omnium locupletiſſimum: illos non ſecus ac Apoſtoli, contentos eſſe debere iis, quæ ultro ipſis offerebantur: *ſed ſolis eleemoſynis ſponte oblatis viverent*, inquit Sancti Officium. Quam vim non obtinet ſermo, cum præſertim nititur exemplo, & cum Dei nomine habetur, & hic inſpirat ea, quæ dicenda ſunt? *Tanquam Deo exhortante per nos.* (*2. Cor. 5.*) Cum in bene præparato ſerimus agro, cum loquimur ad corda cupida obeundi quodlibet officium ſuum, quinam fructus expectandus non eſt? S. Cajetanus diſcipulos ſuos totidem reddit ſuæ pietatis ſucceſſores, & videmus adhuc Sanctum hunc in ſingulis filiis ſuis reviviſcere. *Recens Auctor.*

Ejus humilitas.

Timendum ſane erat S. Cajetano, ut tentaretur vanitatis nomine, cum tot, ac tam præclara opera geſſiſſet. Etenim hinc quidem omnia erant ab adulatoribus metuenda; inde vero in iis, quæ a Deo procedunt omnia aliquid conferunt ad extollendam virtutem ſine ullo etiam conſenſu recipientis illa. Numquid non ſibi complacuit ſe adeo eximiis donis cumulatum videns; quæ quidem dona tantum illi ſuperioritatis gradum præ ceteris conferebant? Nequaquam. Sanctus Vir ſe ipſum reſpicit tamquam noviſſimum in domo Dei; ſe ipſum nequiſſimum peccatorem dictitabat, & ab aliis etiam talem haberi, vocarique geſtiebat. Cum vero ſe novi Ordinis caput conſtitutum vidit, cujus ſodales illi tot benedictiones, & laudes promerebantur, nonne quandoque ſuo gaviſus eſt dominatu? Nonne in hunc illiſit ſcopulum ſatis communem virtuti, videlicet hominum exiſtimationem? Nequaquam. Ejus humilitas nullis unquam licet acutiſſimis tentationis telis labefactatur; quippe illi erat perſuaſum Deum eſſe omnia, & hominem ex ſe nihilum eſſe. Noverat ille, nos a Deo attolli, & quantamcunque poſſumus gloriam illi procuremus; & uni illi acceptam eſſe referendam gloriam omnem, & quidquid boni eſſe poteſt in homine. *Recens Auctor.*

Cajetanus multis ſeſe objecit Hæreticis.

Triſte profecto eſt hoc in loco meminiſſe plurium Hæreſiarcharum, qui S. Cajetani ævo inſurrexerunt, & alte ea repetere mala, quæ in tota Chriſtianitate pepererunt. Verum quin ſingula enumeremus, ſatis erit dicere illos poſt infectam atra lue Germaniam, late univerſam Galliam aliaſque Chriſtianas regiones, poſt everſas leges omnes divinas & humanas, nihil ſe feciſſe ratos eſſe niſi Italiam quoque ſubverterent.

S. Cajetanus ejuſque ſocii detegunt hæreticos, & confundunt.

Cum Ludovici Borbonii exercitus Neapolitanum regnum torrentis inſtar exundaſſet, & cum bello illuc rerum omnium perturbationem, atque impietatem attuliſſet, prope fuit, ut funditus religio convelleretur. Inter cetera, quæ maxime deplorabilia acciderunt, non extremum illud fuit, quod homines bello aſſueti ſceleribus ſuis aditum aperuerunt tribus novorum errorum ſuffragatoribus, qui adeo opportunam operiebantur occaſionem, ut ſenſus ſuos proderent. Primus Joannes Valdeſius appellabatur, alter Petrus Martyr, tertius vero Bernardinus Ochinus. Tres iſti in omnes novitates eorum temporum inciderant; earum ſibi ſyſtema veluti quod-

dam

dam concinnaverant, & conabantur aliis etiam afflare virus, quod conceperant. Petrus Martyr audaciſſimus eo in conventu, ubi præerat, dogmata ſua nefaria venditabat. Tunc Sancti Pauli epiſtolas interpretabatur, & qui debuerat Traditionem ſequi, Patrumque ſententiis inhærere; commodabat Apoſtolo ſenſus ſuos impietate, ac illuſione refertiſſimos. Valdeſius in ſecreto domus ſuæ ſe continens ſibi cathedram iniquitatis erexerat, in qua divinas adulterabat Scripturas, eaſque in pravum ſenſum detorquebat. Sed Ochinus omnium diſertiſſimus æque ac audaciſſimus, qui alioquin auſtero quodam oris habitu auctoritatem ſibi conciliaverat, nullum ſervavit modum. Tunc primas tenebat Cathedras Neapoli, & ſemper diſſimulate, callideque ſermonibus ſuis aliquid Lutheranæ fœcis adſpergebat. Modo tres iſti Novatores Summi Pontificis auctoritatem, modo Epiſcopi juriſdictionem, modo cultum, & Sanctorum invocationem, reliquias, & venerationem eorum imaginibus debitam carpebant. Interdum in locum aliquem contra Indulgentias, & piaculares flammas excurrebant. Vis ſanctæ, vetuſtæque Traditioni inferebatur. Impugnabatur hominis libertas, eaque fatorum legi ſubjiciebatur. Ipſum etiam Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum perditiſſimorum hominum criteria non fugiebat. Omnia denique eo ſpectabant, ut Eccleſia funditus everteretur, & ſub reformationis ſpecie tota ſalutis œconomia tolleretur. Inter tumultum, ac mala, quæ bellum in Neapolitanum regnum invexerat, nulla ferme, niſi temporalium negotiorum ratio habebatur. Sanctus Cajetanus, ejuſque Clerici Regulares primi omnium ſubodorati ſunt technas, quæ morum integritati nectebantur. Licentia, quam ſibi vendicabant novatores iſti de Eccleſiaſticis Superioribus obtrectandi ſuſpicione non caruit. Cajetanus illos propius ſcrutatus eſt, detexitque lupos ovino tectos corio, qui perſonam ſibi ablatam videntes, omniaque ſibi a Summo Pontifice metuentes, id unum, quod illis reliquum erat conſilii ſecuti, fugam arripuerunt. Neapolitana civitas victoriam hanc vigilantiæ Sancti Cajetani, & Sociorum ejus acceptam retulit; & ex his Clericorum Regularium meritis erga Religionem, & Regnum maxima facta eſt acceſſio ſpei, quæ de illis fuerat concepta, & decoris recens inſtitutæ Congregationi. *Ex Sancti Vita.*

Plures coaleſcunt Congregationes ad imitationem illius a S. Cajetano inſtitutæ.

Hæretici non ſola fuerunt S. Cajetani, ſociorumque ejus trophæa. Doctrina ſua illuminarunt peccatores, eoſque exemplis optimis, ac morum integritate ad pœnitentiam revocarunt. Brevi divinus cultus refloruit: templis, ariſque rediit priſtinus nitor, & inceptum eſt ſacris miſteriis frequentius communicare. Omnia tandem novam induebant formam, & præcedentes iniquitates evaneſcere inceperunt. Paullo poſt etiam variæ Clericorum Societates inſurrexerunt contra morum licentiam, & conatus Hæreſeos. Sed cum id genus Congregationes ad normam Clericorum Regularium Sancti Cajetani inſtituerentur, ille omnium quodam in ſenſu pater vocari poteſt: ipſumque ſe ſe multiplicaſſe in tot viros, quot illuſtribus hujuſmodi Congregationibus adhæſerant, & deinceps lapſu ætatum omnium ipſum, per eorum manus ſcripturum, per ora locuturum, replendo quidquid in Ordine ſuo vacuum fuerit, hoc filiorum numero, qui per imitationem caritatis, zelique ipſius ſe ſe ad ejus exemplum compoſuerunt dimicaturi adverſus morum improbitatem, recenteſque ſectas luci Evangelicæ oppoſitas. *Ex Sancti Vita.*

Opera a Cajetano Venetiis poſt laborantibus præſtita.

Si Romæ perſecutio Cajetani patientiam probaverat, morbus, & fames non minus caritatem illius Venetiis exercuerunt. Cum bellum excepiſſet tetra lues, hæc Europam, præſertim vero magnam Italiæ partem vexaverat: Hinc ſenſim per commercii neceſſitatem Venetæ Reipublicæ fines invaſerat. Aer voraci hoc igne corruptus contagionem inferebat in ſinum illius reciprocantium. Venetiæ civitas illa adeo frequens, & florens propter magnam incolentium vim, propriamque magnitudinem interibat. Horum fuga, illorum mors illam in ſolitudinem redigebat, & ſuperba, & antiqua civitas ſqualore, luctuque conficiebatur. Amici, conſanguinei nequaquam ultro, citroque ſe cognoſcebant; mortis metus fortior erat vinculis naturæ, ſanguinis. Tantum hoc periculum, quod quilibet æquiſſimum eſſe putabat jus, quo a caritate Chriſtiana immunes redderentur, magis magiſque Cajetani caritatem accendit. Ejus commiſeratio erga tot homines propter auxilii defectum intereuntium, imbecillitas eorum, a quibus illi deſerebantur, Sanctum hunc excivit, qui omnes adhibuit curas, & vigilias, neque ſaluti, vitæque ſuæ pepercit ut quæcumque poſſet lue tabeſcentibus omnia procuraret ſolatia, ſed potiſſimum id quæſivit, ut reconciliaret Deo; norat enim peccata, ut plurimum, eſſe omnium harum calamitatum originem. *Ex Sancti vita.*

Procurat pacē in urbibus, & familiis, ubi gliſcebat diſcordia.

Sancto Cajetano ſatis non eſt pacem in ſemetipſo, atque in arcta familia ſua tueri, ſemper quantum potuit adnixus eſt, ut pacem hanc procuraret, ac diſſenſionis ignem, ubicumque eſſet, extingueret. Populus Veronenſis animo erat alieno ab Epiſcopo ſuo, & prope erat, ut diſſidium in civile bellum erumperet propter aſſiduas contentiones. Papa Clemens VII. Sancto Cajetano præcepit, ut ſtatim ſe Veronam conferret, ad ſarciendam Epiſcopum inter & populum gratiam. Non defuit Cajetanus, & ea auctoritate, quam nominis ſui celebritas comparaverat, ſed præcipue fuſis coram Deo precibus, & lacrimis effecit, ut reddita urbi tranquillitate, populum ad officium revocaverit. Neque ea tantum in urbe enituerunt indicia illius poteſtatis, quam contulerat Deus Sancto huic ad pacem, & conſenſionem procurandam; nullus enim fuit populus, nulla civitas, nulla familia diſſentiens, ubi Cajetanus zelo ſuo, ac ſermonibus turbas, ac jurgia non ſopiret, & penitus convelleret; idque non ſolum cum viveret, ſed etiam cum obiiſſet. Civile bellum, quod in Neapolitano regno exarſerat, ad illius interceſſionem ſedatum eſt, & regionis illius populus adhuc ad Sanctum hunc confugit, ubi diſſidium aliquod ſuboritur inter incolas vel urbis, vel agri, & paſſim per illius interceſſionem petitionis ſuæ conſequuntur effectum. *Ex Sancti Vita.*

In Sanctimonialiū Aſceteriis reformationē inſtituit, & domum erigit mulieribus Pœnitentibus.

Sollicita Sancti Cajetani caritas non in ſua tantum congregatione ſe ſe proferebat, zelus enim nimis ardens erat, neque poterat brevi ſpatio contineri. In pluribus Sanctimonialium Cœnobiis, quæ jam regularium ſuarum fere oblitæ fuerant, reformationem inſtituit: ignitis ſermonibus ſuis ita ſe geſſit, ut eas ad primum religionis ſuſceptæ ſpiritum revocaverit. Aſceterium, quod Neapoli inter cetera nitet, Sapientiæ nuncupatum ſub S. Dominici regula poſitum eſt; hujus directionem vigilans Cajetanus ſibi demandatam aſſumpſit, ibique curis, ac vigiliis ſuis ad primævæ inſtitutionis ſpiritum nobiliſſimas eas Virgines revocavit. Quemadmodum Cajetani caritas inquirebat ſemper, ubi exerceretur, eadem excitus procuravit converſionem complurium mulierculárum, quæ in ſcortationibus, luxuriiſque vivebant, ac pleræque, deficientibus qui præſtarent opem, interibant. Sanctus Vir earum non mediocrem numerum collegit, atque procuravit, ut illis domus inſtitueretur, quam Pœnitentium nuncupavit. Ad id a Summo Pontifice obtinuit ea omnia, quæ erant neceſſaria; eamque ita ſolide inſtituit, ut ad hanc quoque diem magna illa in civitate optimo ſit exemplo. *Ex Sancti Vita.*

Alia Cajetani pietatis, & caritatis officia.

Sancti noſtri caritas in ſola Congregatione ſe non continuit. Inutile eſſet repetere, cor illius apertum fuiſſe omnibus calamitoſis. Cum adhuc eſſet in ſæculo, inviſebat Xenodochia, ægris ferebat opem, afflictos ſolabatur, pacem ubique certam faciebat, & Paſtoribus etiam præclarum præbebat exemplum, ubi res ferret, periculo objiciendi vitam pro ſuarum ovium incolumitate. In hac urbe piarum exercitationum fervorem ciebat, in illa ruentium Noſocomiorum ſarta tecta procurabat, modo ſolatium ægrotantibus afferebat, eiſque ſuadebat patientiam, modo in carceribus detentos viſitabat, eoſque juvabat eleemoſynis, modo templa, & Martyrum tumulos inviſebat. Omnibus pietatis operibus intererat. Nulla erat piorum ſodalitas, cui non vellet adſcribi. Omnes aſſiduitate ſua ædificabat, & exemplis excitabat. Verum ſicuti Salvator omnes paſſiones laboreſque ſuos ad animarum ſalutem retulerat; S. Cajetanus hunc ſibi ſemper proponebat finem in operibus caritatis, quæ erga proximum exercebat. Itaque nihil erat curarum, quod pro Eccleſia, & pro ſingulis fidelibus non aggrederetur. Nunquam illius ceſſabat caritas; ille prædicabat, catechizabat. Dei verbum in ore ipſius lac erat parvulis & infirmis; fortibus autem & perfectis ſolidus panis, & nutriens. Non ſatis illi fuit Schiſmaticis objicere vitam, quæ erat veluti quædam muta ſed efficax controverſia; de cathedra quidem contra illos invectus eſt. Oſtendit illis abyſſum, in quam præcipites ruebant patrum ſuorum terminos ſemoventes, & contendentes aliud jacere fundamentum ab eo, quod ab Apoſtolis poſitum fuerat. Verum eſt, dicebat illis, non ſatis defleri poſſe mala, quæ Dei filios dedecore afficiunt: ſed temerarium opus eſt, quod privati ſine auctoritate, ſine charactere, ſine miſſione afferre velint malis hujuſmodi medicinam: Diſcedere velle ab Eccleſiæ Traditione, hoc idem eſſe, ac palam ſeſe conjicere in abyſſum, cujus nullus eſt finis. Sanctæ Eccleſiæ intereſſe coercere ſcandala; illius hac in re judicium eſſe expectandum ejuſque judicia nemini prævertenda eſſe; illius Unitatem infringere eſſe idem, ac ſeſe Salvatoris inimicum profiteri, ac dæmonis ſervitio ſemet devovere.

Compendium curarum, & laborum S. Cajetani, & congregationis.

Quemadmodum Eccleſiaſticorum irreligio, & ignorantia, morum corruptio in Laicis, cultus divini negligentia in Templis, & Sacramentorum nauſea primum fuit objectum zeli S. Cajetani, & Congregationis ejus; ita finis inſtituti ejuſdem fuit; 1. Morum puritatem reſtituere, & inter Clericos ſtudii amorem, ac vivendi diſciplinam reparare. 2. Extinguere avaritiam, & revocare integritatem illos ſecundum ſpiritum, & apoſtolicæ paupertatis perfectionem reformando. 3. Reddere ubique templis decorem, ac magnificentiam, efficiendo, ut primus reviviſceret ſpiritus reverentiæ, & religionis, quo omnes exteriores Eccleſiæ cæremoniæ animatæ eſſe debent. 4. Expurgare Cathedram veritatis ab iis, quæ humilia, profana, & humi repentia fuerant invecta. 5. Ubicumque novas hæreſes perſequi: ægrotantibus ad tumulum uſque opitulari, & ſontes capite plectendos ad ſupplicium raptos comitari. Ita Sanctus hic Vir ſuam inſtituit Congregationem, ſuppeditans filiis ſuis ſolidam materiem ad exercendam jugiter caritatem, ac ſe ipſum impendens in hæc omnia ſancta opera, oſtendens illis verbis, & exemplo amorem, ut verus ſit, eſſe debere univerſalem. *P. Croiſet in Aſceticis.*

S. Cajetanus tot inter labores Cōgregationis ſuæ curā geſſit.

Tot inter labores, quot Sanctus Vir ſuſcipiebat, cum pro omnibus generatim, tum pro illis, qui quacumque ex cauſſa afflicti mœrebant, nunquam tamen ſuam neglexit Congregationem. Pro hac tot ingreſſus eſt itinera moleſta cum per hyemis rigores, tum per ardores æſtatis, per pericula in terra, per ſcopulos in mari. Aula Romana, magnæ illius civitatis direptio, fames, lues, ipſa etiam pietas & liberalitas Principum,

cipum,

cipium, & Epiſcoporum, omnia adverſari videbantur orientis ordinis inſtitutioni, & progreſſui; caritas tamen illius omnes obices ſuperavit. Alia ex parte cum Neapoli civile bellum exortum fuiſſet, & nobiles cum populo inita conſenſione contra Regimen ad arma confugiſſent, & exſules, ac improbi in urbem vocati fuiſſent ad illam tuendam, dicere mallem, ad diripiendam; incolæ omnes in qualibet urbis regione vallo ſeſe tutati fuiſſent, rivi ſanguinis per vias, & compita fluerent, cædes paſſim fierent, ignis ubique domibus admoveretur: Prorege hinc, inde civibus certatim celeberrimam urbem ruinis ejuſdem tumulare adnitentibus, tot tantaque mala bonos viros, præſertim vero Cajetanum ſummo mœrore, ac amaritudine confecerunt. Hunc Providentia per hoc periculum traducere voluit, ut ante obitum oculis ſuis videret generalem illius urbis vaſtitatem, quam ſumma dilectione complectebatur; ſed inaudita, quæ ibi patrabantur ſacrilegia, magis adhuc cor ejus ſauciarunt, quam cædes, & incendia, quorum fuit teſtis. Quid inauſum, atque intentatum reliquit, ut torrentem hunc cohiberet? Adit ille Gubernatorem illius clementiam exoraturus: adit Principes, ac Magiſtratus, & eos omnes adit, qui auctoritate præſtabant: ad Deum ſe convertit lacrimis, ac gemitibus in cælum emiſſis; ſed immutabilibus divinæ juſtitiæ judiciis in noxia capita obſiſtentibus votis Sancti Viri; & gliſcente in dies ſingulos diſcordia, propter exceſſum tot miſeriarum dolore tabeſcens incidit in febrim, quæ lento gradu illum paullatim abſumens, deſiit tandem in lethalem languorem. Ille igitur vi morbi victus enixe petiit, deferri ſuper paleas dicens homini, qui paupertatem & abjectionem elegerat, non alia re opus eſſe. Quonam dolore affecti fuerint ejus filii, quilibet æſtimare poteſt, præſertim vero cum S. ab illis veniam peteret, ſi quid erga illos deliquiſſet. Denique illos obteſtatus eſt, ut invicem ſeſe honore præverterent, ut mutuo alienas noxas ferrent, vocationis ſuæ ſpiritum tuerentur, & ut in ingruentibus malis in Dei Providentia confiderent. Hæc noviſſima fuerunt Sancti verba, quin filii reſpondere poſſent, niſi lacrimis, atque ſingultibus. Eodem momento in ſuavem, pacatumque agonem incidit, ſervataque uſque ad extremum ſpiritus libertate, fervoris, fiduciæque plenus, quarum teſtis fuit oris ſerenitas, Deo ſanctam animam reddidit. *Ex Sancti Vita.*

Sanctus eum vivens non potuiſſet obtinere tranquillitatem urbis Neapolitanæ; mortuus impetravit.

Poſt omnes curas, pœnaſque, quas S. Cajetanus ſubierat pro proximo generatim, & ſingillatim, nemo unus mirari debet, ſi luctus civitatis totius illius mortem ſubſecutus eſt. Illum fleverunt pauperes tanquam præſidium; ægrotantes tanquam conſolatorem; Clerus tanquam unum de exemplaribus; Clerici Regulares tanquam Parentem, ac magiſtrum; civitas univerſa tanquam Patronum, Angelumque tutelarem. Nulli habebantur ſermones niſi de illo, de tot animarum adquiſitione, ac de laboribus ab eo ſuſceptis toto miniſterii ſui curriculo. Quemadmodum ſummorum virorum mors eſt quoddam apotheoſis genus, quod vividiores efficit impreſſiones exiſtimationis, ac venerationis erga illos conceptæ dum viverent; omnium conditionum mortales confluxerunt in Templum, ubi Sanctum Corpus expoſitum erat, ut illi parentaretur. Neapolitani vero præſertim, ut glorioſiorem efficerent Sancti Viri memoriam, & in grati animi argumentum, quod civile bellum in ejus obitu ad ejuſdem interceſſionem ſedatum fuerat, edictum fecerunt, ut inter Sanctos civitatis ſuæ patronos adſcriberetur. Verum eſt edictum hoc nonniſi multo poſt locum habuiſſe; Summus enim Pontifex Conſtitutionem emiſerat, qua cautum erat, ne Sancti, qui nondum a Sancta Sede inter Cælites fuiſſent deſcripti, in Patronos, aut titulares erigerentur. Denique teſtimonium primorum Patrum Congregationis Sancti Cajetani palam innuit, neminem extitiſſe, qui non crederet pacem, ac tranquillitatem Neapolitanæ civitatis Beato Cajetano acceptam eſſe referendam. Beatus Cajetanus, inquiunt illi, patria Vicentinus, Comes Thienæus, unus ex quatuor Inſtitutoribus Clericorum Regularium, Dei ſpiritu repletus, propter converſationis ſuæ puritatem, verborumque vim inſignis, propter frequentia miracula in honore habitus, mortuus eſt Neapoli morbo concepto ex doloris exceſſu, in quem conjecerunt eum urbis illius ſeditiones, quæ tamen ſedatæ fuerunt precibus ejus, cum ex hac vita ad beatam migravit æternitatem; & hoc teſtimonium eo magis authenticum eſt, quod ſignatum fuit a Sacro Collegio, quod id publice atteſtatum eſt. *Ex Sancti vita.*

Ejus miracula generatim, & gratiæ particulares quas recepit a Deo, & a S. Virgine.

Hic locus eſſet referendi inſignia miracula Sancti noſtri, & non vulgares gratias, quibus a Deo fuit cumulatus. Quod ſpectat ad miracula, quæ referre faſtidium parerent, permulta ſunt enim, ſatis mihi erit generatim dicere illum & Prophetiæ donum, & curationum gratiam recepiſſe, ita ut pauci ſe illi commendarent ſeu ægrotantes, ſeu mœrentes eſſent, qui votorum ſuorum ſummam non conſequerentur. Nulla eſt in orbe Chriſtiano provincia, vel Regnum, quæ miraculorum ejus teſtis non fuerit. Viſi ſunt ad preces illius conclamatiſſimi licet morbi repente ſanari, morientes familiis ſuis incolumes reddi; cæcos illuminari; mentes de ſanitate dejectæ iterum ſui compotes fieri; aliaque id genus ſexcenta ad Sancti hujus hominis preces patrari. Quod vero pertinet ad inſignes gratias, quibus cælitus dignatus fuit, duas tantum ex plurimis referam. Quadam die cum attentius meditaretur ſecum admirabilem Filii Dei hominis facti exinanitionem, ac intime ſibimet repræſentaret myſterium Incarnationis Domini, totus effuſus in pios grati animi affectus ob tantum beneficium; Deipara Virgo illi apparuit inter ulnas ſuas filium complexa, quæ eumdem in Cajetani manibus poſuit. Quibus tunc deliciis diffluxerit Cajetanus penes vos eſto judicium; hoc verbis aſſequi profecto ipſe non poſſum. Alia vice eidem mundi Salvator apparuit, lateris ſui vulnus oſtendens, cui Sanctus Vir applicuit os ſuum, ac inde liquorem adeo pretioſum expreſſit, ut jure dicere poſſet, deficere animam ſuam propter nimiam dulcedinem infinitæ Salvatoris noſtri bonitatis, qui iterum illi Crucem obtulit ſuam, eamque in manus ejus tradidit, ut illum ſuis paſſionibus ſocium admitteret. Ad pauca hæc miracula memet arctavi; infiniti quippe laboris eſſet, ſi memorare vellem innumeras benedictiones, quibus Deus Sanctum hunc Virum cumulavit. *Ex vita Sancti.*

Inſigne miraculū, quod operatus eſt Deus in gratiam amoris illius, quo S. Cajetanus extremam paupertatem dilexit.

Inter ceteras virtutes, quæ magis in Sancto noſtro eluxerunt, ejus in Deo confidentia procul dubio primas tenet. Pauci ſe ſe divinæ providentiæ tradiderunt æque ac ille; verum Deus quoque nunquam niſi in gratiam illius apertius oſtendit, quantum illi cordi ſit fides hominis vere ab omni creatarum rerum amore divulſi. Ex Sancti noſtri Officio, quod ab Eccleſia probatum eſt, liquet, Deum nunquam illi defuiſſe, eo uſque ut in gratiam ipſius, ubi opus fuit, miracula fuerit operatus. Unum dumtaxat horum ſatis eſt, ut oſtendamus quam Deo acceptus eſſet hic Sancti animi avulſus a qualibet proprietate, & ab iis omnibus, quæ cupiditatem ſaperet; & hoc ſane ex eorum genere eſt, quæ facile apud incredulos etiam fidem inveniunt. Cum Sanctus hic Vir præeſſet in Neapolitana S. Pauli domo, memorabilis accidit eventus. Sub horam prandii Cajetano nuntiatum fuit, omnia ad extremam neceſſitatem eſſe redacta; & ne fruſtum quidem panis eſſe, quod Religioſis in cibum præberetur. Hoc illum minime terruit; jubenſque ad ſolitum nonæ ſignum omnes in Triclinium arceſſiri, poſt conſuetas preces cum ſinguli loco ſuo diſcubuiſſent, illos hortatus eſt, ut in Deo confiderent, ut in rebus adeo anguſtis illi fidei ſuæ præberent indicia, opemque illius, quæ non longe aberat, opperirentur. Vix hæc protulit verba, cum janitor evocatus fuit ad oſtium. Accurrit ille, & obſtupuit, cum oſtio aperto vidit corbem candidiſſimo repletam pane, quin videre poſſet aliquem, a quo crederetur allata. Panem hunc Patribus obtulit comedendum; qui ob tale Dei beneficium hilares, ac in grati animi ſenſus effuſi, eum nacti ſunt in pane guſtum, quem decebat eſcam de cælo dilapſam. *Vita Sancti.*

Quo pacto Sancti hujus virtutes imitari valeamus?

Si modo ex me quæritis quanam in re tantum Sanctum imitari poſſimus, dicam. Nobis, ut illi, perſuaſum eſſe debet, Deum auctorem eſſe, & fontem bonorum omnium. Hæc nos uni illi debere, & ab uno illo expectanda eſſe. Hic nobis in illo integram reponendam eſſe confidentiam; quoniam pollicitus eſt, ſe nobis in cunctis neceſſitatibus adfuturum, præcepitque, ut crederemus, nos effectum conſecuturos eorum, quæ petierimus, dummodo licita, ac honeſta petamus, *Credite quia accipietis*; quæ res inconcuſſam reddere debet noſtram confidentiam. Paupertas illius nobis eſt imitanda, quoniam cuilibet ſtatui convenire poteſt: & quoniam pleniſſima hæc in Deo confidentia cauſſa fuit, ut Evangelicam hanc paupertatem amplecteretur, eo perfectiorem, quo magis oculi ejus ſemper in Deum ſublati ſunt, quin aliquid expectent a terra; & magni hujus hominis exemplum, ſi minus perfecti ſumus, ita, ut illud ſequi non valeamus, ſaltem docere debet, quo pacto moderari, ac regere debeamus deſiderium perituras divitias coagmentandi. Poſſumus etiam illum imitari in perfecta hac abdicatione non divitiarum dumtaxat per Sanctam paupertatem, verum etiam dignitatum, honorum, voluptatum, omniumque ſæculi commodorum, quæ ſenſus noſtros allicere valeant. Poſſumus imitari Sancti Viri fervorem conſtanter ſerviendo Deo inter publicos tumultus, & civilia bella, æque ſemper adhærentes Deo in difficillimis rebus, ac tentationibus vehementiſſimis. Fruſtra redditis, vos infirmos, ac imbecilles eſſe, & fieri nequaquam poſſe, ut ad tantum ſanctitatis apicem perveniatis. Sed quæſo, quonam pacto illuc Sanctus noſter evaſit? Incepit ille quidem adhærere Deo, illum amare, ſeſe in illius ſancta dilectione confirmare: ita a modicis initiis paullatim ad altiſſimum perfectæ dilectionis gradum pervenitur. Ne quæramus igitur ineptas, futileſque cauſſas: nihil eſt difficile diligenti; & ſi cupimus hanc immortalem gloriam attingere, ad quam Sanctus noſter aſcendit; quam proxime imitari conemur ſanctæ ſuæ converſationis exempla. *Recens Auctor.*

PRO SANCTÆ CLARÆ PANEGYRICO,

MONITUM.

Sancta Clara in Eccleſia univerſa celeberrima, tum virtutum ſuarum fama, tum numero Sanctimonialium, quarum Mater habetur, fuit, uti liquet, diſcipula, ac Filia Seraphici Sancti Franciſci Aſſiſinatis. Deus, qui admirabilis eſt in Sanctis ſuis, oſtendit in hac auſteriſſimi Ordinis Inſtitutrice, ſequiorem ſexum eximiis quibuſcumque cœptis, egregiiſque virtutibus eſſe parem. Quandoquidem illud ipſum, quod Sanctus Franciſcus inter Viros, hoc fecit Sancta Clara inter Virgines Deo per vota Religionis ſacras. En, mea quidem ſententia, paucis verbis argumentum abſolutiſſimi Elogii, quod de hac Sancta Virgine valeat exornari, & æquiſſimus, qui de eadem, fieri poſſit conceptus.

In hoc argumento pertractando hæc mihi utilitas eſt, quod eadem rerum copia, quæ ad Sancti Franciſci Panegyricum in medium allata eſt, adhiberi poteſt in Elogio Sanctæ Claræ propter ſimilitudinem eorumdem argumentorum, & multo magis propter exempla earumdem virtutum, paupertatis, humilitatis, & pœnitentiæ quæ uterque præbuerunt aſſeclis ſuis in eo vitæ genere, quod fuerunt amplexi.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Sermonum hujus Argumenti Synopſis.

I. SAnctam Claram triplici in ſtatu conſiderare poſſumus. 1. Tanquam Sancti Franciſci Aſſiſinatis Filiam; 2. tanquam Jeſu Chriſti Sponſam; 3. tanquam Ordinis ſui Matrem.

Pars prima. Cum Sancta hæc ſpectatur tanquam Sancti Franciſci Filia, dicere poſſumus, ſicuti in natura qui aliis vitam impertiunt parentes filiorum ſuorum dicuntur; ita in ordine gratiæ qui ſunt cooperatores divinæ Providentiæ ad aliorum ſanctificationem, jure in partem vocari poſſunt hoc titulo patrum, vel matrum: & earum, quibus ſpiritalem hanc conferunt vitam. Ita loquitur Sanctus Paulus de Fidelibus, quos per miniſterium ſuum Deus converterat, dicens a ſe illos fuiſſe genitos Evangelio: *Per Evangelium ipſe vos genui*, (2. Cor. 12.) cumque Philemoni commendat Oneſimum, hunc ſuorum vinculorum, & catenarum filium appellat; quoniam ipſe in carcere poſitus eum ad Eccleſiam evocaverat. Ita Sanctus Franciſcus eos omnes reſpexit, quoſcumque convertit, vel quos a vivendi genere nequam, ac diſſoluto ad magis Chriſtianam, ſanctioremque vitam traduxerat, & multo potiori jure eos, quos exemplo ſuo perduxerat ad amplectendam crucem Salvatoris, & ad ſerviendum Deo in vita regulari. Hæc potiſſima ratio eſt, quam habet cum Sancta Clara, & quæ locum præbet dicendi, illum hujus eſſe patrem, & hanc filiam eſſe curarum, inſtitutionum, & exemplorum illius; quandoquidem ille cooperatus eſt Deo in hac re, fuitque inſtrumentum, quo uſa eſt Providentia, ut Sanctam Claram ad eminentem hanc attolleret ſanctitatem, quæ illam maxime commendat, & quæ cauſſa eſt, propter quam illam proponit Eccleſia virginibus Deo dicatis, tanquam altiſſimæ perfectionis prototypum.

Ad hæc autem evolvenda ſatis eſt oſtendere Sanctam Claram quatenus Seraphici Sancti Franciſci filiam, duplicem ſortitam fuiſſe prærogativam; videlicet, 1. Mirum in modum participem fuiſſe ſpiritus ejuſdem; 2. Egregie illius exemplum ſecutam fuiſſe. Particeps facta eſt Spiritus Sancti Franciſci per integram rerum omnium abrenuntiationem, abſolutam Providentiæ Dei ſubmiſſionem per abdicationem rerum omnium, conſanguineorum, bonorum, ac ſpei etiam, quam in hac vita habere poterat; qui vere ſpiritus eſt Sancti Franciſci, & quem in Claram filiam ſuam tranſmiſiſſe videtur; quoniam a primis annis præbere cœpit ſpecimina perfectæ hujus abnegationis bonorum terræ, & ſolatiorum, verbo, earum rerum omnium, quæ a mundi ſectatoribus ſumma cum aviditate quæruntur. Latius excurrere poſſumus in hujus conſilii generoſitatem, in animi fortitudinem quam in eodem exequendo præſetulit, & in vim, qua obluctata eſt iis, qui vi, ac impotentia abuti voluere, ut eam de hac mente dejicerent. Præterea oſtendit palam ſe glorioſi parentis ſui ſpiritu eſſe animatam, exercens virtutes, quarum ob oculos habebat exempla, paupertatem adeo arctam ut ſupra vires non ſolum ſexus ſui, verum etiam virilis, eo uſque ut Sancta Sedes ægre illam probaverit, immo non ſemel illam moderari propoſuerit. Liquet, quid oblationi huic fuerit reſponſum. Humilitatem, quæ uſque ad exanimationem deſcendit, & talem quidem Sanctus Franciſcus exercuit. Pœnitentiam, & Mortificationem, cujus rigor ſuperat fidem, præſertim vero in eo ſexu qui ſuapte natura horret auſteritatem. Sed hæc digna eſt Sancti Franciſci filia, quam nihil deterrere poteſt. Ita Sanctus ille Patriarcha Sanctam Claram ad hunc perfectionis apicem extulit; per eminentiſſimarum virtutum praxim, ita illam præparavit Jeſu Chriſti ſponſam futuram.

Pars altera. Eccleſia proprie eſt Jeſu Chriſti ſponſa ex Sanctorum Patrum ſententia; quod tamen non obſtat, quominus Virgines omnes, illæ vero præſertim, quæ divino cultui in Regulari ſtatu dicatæ ſunt, in partem accedant glorioſæ hujus affinitatis juxta communem Eccleſiæ ſenſum, quæ illis hunc titulum impertit præ reliquis, quæ nuptiis abrenuntiant, ut ſine cordis diviſione, ac liberius Deo famulentur.

Sed omnes inter Virgines Deo ſacras, & quæ ſæculi nuptiis nuncium miſerunt, nullam invenio, quæ potiori jure honorem hunc merita fuerit, quam Sancta Clara. 1. Quia diluculo ſeſe devovit Salvatori, rejiciens alium quemcunque ſponſum, qui ſeſe eidem offerret. 2. Quia illi conſtanter fidelis fuit uſque ad vitæ finem. 3. Quia paucæ fuerunt, quæ ut illa, gloriam Filii Dei ſuſtinuerint, quæ omnia ſemper contulit ad gloriam ejus, nec aliud quæſivit, niſi ut illi placeret. 4. Quia non defuit Salvatorem inter, & illam quædam paſſionum gloriæ, ac poteſtatis communicatio, quæ bona Deus Eccleſiæ ſuæ procuravit, quæ antonomaſtice illius habetur, & dicitur Sponſa.

Pars tertia. Tertius ſtatus, in quo conſiderari poteſt Sancta Clara neceſſario ex duobus aliis conſequitur; videlicet, quod quatenus S. Franciſci Filia, & Sponſa Jeſu Chriſti, addenda eſt tertia Matris Ordinis, quem ipſa inſtituit in Eccleſia, & qui alterius quidem ſpiritum extendit, alteri vero numero carentes peperit Sponſas. Nam tanquam S. Franciſci Filia fuit zeli ipſius cooperatrix ad revocandum in Chriſtiana Religione ſpiritum paupertatis, humilitatis, & pœnitentiæ, & cum illo gloriam hanc partita eſt, ut dum ipſe viros ad Evangelii perfectionem vocat, ipſa ad eamdem puellas arceſſat; ideoque frequentiſſimam inſtituit familiam, quæ Sancti Franciſci ſpiritu animata fortiter, ac ſtrenue amplectitur quidquid in Regulari ſtatu aſperrimum eſt, ac difficillimum. Hoc pacto facta eſt parens infinitæ poſteritatis, quæ in omnia vigebit ſæcula, ſicut in omnia ſe Regna, omneſque fere urbes, & oppida extendit, non ſecus ac Ordo S. Franciſci. Adde his ſicuti per exemplum, quod quis aliis præbet, ille fit pater eorum, quibus procurat vitam gratiæ, vel non mediocrem in ſanctitate progreſſum: glorioſa S. Clara nonne appellanda Mater eſt tot Sanctimonialium, quas deduxit in perfectionis viam; quemadmodum ipſa quoque pro Patre habet Sanctum Franciſcum, qui primus oſtendit illi viam hanc adeo parum cognitam, ac deinceps adeo tritam plurimorum veſtigiis? Ita eſt, animæ Religioſæ, Sanctæ Filiæ parentis ſanctiſſimæ, voſmet dignas hoc nomine præbebitis ſecutæ exemplum quod vobis illa reliquit.

Quam pulcra eſt caſta generatio cum claritate! Sap. 4. Deus, qui Aſſiſii in lucem prodire juſſerat pro maribus exemplar altiſſimæ Evangelicæ perfectionis in magno, & Seraphico Sancto Franciſco, voluit etiam ſimilem proponere ibidem prototypum alteri ſexui, fuitque inſignis Sancta Clara, quæ in eadem urbe orta amplexa eſt idem vitæ genus, atque Inſtitutum. Quæ Sancti Franciſci erat diſcipula, inſtitutis ejuſdem imbuta, omnino ſimilis facta eſt Magiſtro ſuo, ac ſpiritus ſui moderatori. II.

1. Per vitæ ſanctitatem, & praxim maximarum virtutum, videlicet Evangelicæ paupertatis ſecundum ſtrictiorem Obſervantiam, altiſſimæ humilitatis, auſteriſſimæ mortificationis; vel per vitæ genus maxime oppoſitum omnibus placitis mundanæ ſapientiæ.

2. Per inſtitutionem Ordinis ad eamdem perfectionem tendentis; quæ res effecit illam per ſtatum, & vitæ Sanctitatem matrem pulcherrimæ, & maximæ ſobolis, tot videlicet Sanctimonialium, quæ ad illius imitationem ſe devovent cultui ſponſi cæleſtis, quod cum Scriptura nuncupari poteſt pulcra & caſta generatio. *Quam pulcra eſt caſta generatio cum claritate!*

Hæc eſt virgo ſapiens, & una de numero prudentum! Verba hæc deſumpta ſunt ex Officio ſanctarum virginum, quas colit Eccleſia. Sapientia, ex D. Thoma, eſt intima, ac profunda cognitio ſenſus rerum pervadens; prudentia vero eſt virtus, quæ efficit ut efficaciſſima adhibeantur remedia ad nobilem finem obtinendum, quem nobiſmet propoſuimus. Admirabilis S. Claræ elogium æquius fieri non poteſt, quam illam exhibendo tanquam unam ex Virginibus, quas Eccleſia recenſet in earum numero, quæ in vita ſua præſetulerunt prudentiam prorſus Chriſtianam ſuperioribus illuſtratam luminibus; quod illi peperit nomen Claræ, ubi primum in lucem edita fuit. Si enim ex Tertulliani ſententia, vera ſa- III.